15.°

TA
M
PID

C.III.L.6.

Indice.

1 Sant'Angelo = Statuta, ordinationes 1498
(Cagli) atque Decreta Civitatis Sancti
Angeli = Continens 8 libros. In
stampato in Pesaro da Girolamo
Concordia nel 1589. =

2. San Gemini = ~~Compa~~ Statutorum
Terrae S. Geminii. = Com=
prende 5 Libri. — In stampa=
to in Roma dagli eredi
di Antonio Blado nel 1568.

3. Monte S. Giusto = Statuta, leges ac jura
municipalia ecclesiasticae Terrae
Sancti Justi = Comprende 5
libri, l'ultimo dei quali è
incompleto = In stampato in
Macerata da Sebastiano Martellini
nel 1572. —

San Gemini

1546

STATVTORVM

TERRAE S. GEMINI

LIBRI QVINQVE.

ROMAE,
Apud Hæredes Antonij Bladij Impressores
Camerales. M. D. LXVIII.

PROOEMIVM.

QVONIAM omnis ciuitas legibus moderatur, lexq; , vt verissi me dicit Pindarus, omnium domina est; cui vt Deo parendum es se peripateticus ille Aristoteles commonet: atq; veluti ex specula surdis veritatis mortalibus ita proclamat: Interitum paratum illi ciuitati video, in qua non lex magistratibus, sed legi magistratus præssunt: salutem vero illi, in qua lex magistratibus dominatur: cunctaq; certe, bona quæ dij ciuitatibus præbent, huic affore conspicio. Constat profecto ad salutem ciuium, ciuitatumq; incolumitatem, vitamq; hominum & quietam, & beatam inuentas esse leges; quas Portius Cato ciuitatum neruos esse dicebat. Quis enim inficias ibit magno vsui non esse mortalibus? sine quibus (vt inquit Augustinus) Reges Tyranni nuncupantur: domus, nec ciuitas, nec hominum genus vniuersum, nec ipse mundus, consistere posset: & quemadmodum oculorum acies sine pupilla habescit: sine gubernatore nauis periclitatur: sine auriga currus sæpe conuertitur: ita sine legibus ciuitas, labescit atq; vacillat. Sed quia nulla iuris sanctio, quantumcunq; perpenso digesta consilio, ad humanæ naturæ varietatem, & machinationes eius inopinabiles sufficit, nec ad decisionem lucidam suæ ambiguitatis attingit, cum ab adolescentia sensualitas humana declinet, & vergat ad malum, & secundum varietatem temporum mores, & statuta quoq; varientur humana:

Id circo ad honorem, & reuerentiam atq; laudem omnipotentis Dei, & glorioss̃imæ Virginis Matris eius, ac beatorum apostolorum Petri, & Pauli, & omnium sanctorum curie celestis, ac beati Gemini, sub Cuius tutela, & potenti suffragio, Commune Terræ sancti Gemini defenditur, & in pace tranquilla suorum interuentu precaminum gubernatur, nec non ad reuerentiam S. R. E. & Sanctiss. in Christi Patris. D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. ac ad honorem gloriam, & exaltationem Illustriss. DD. Domini Flauij Cardinalis Vrsini, & Don Virginij sui fratris germani DD. & Patronorũ dictæ Terræ, & ad honorẽ, magnificentiã, vnitatem, & statũ pacificum, & tranquillum Communis, & populi Terræ prædictæ, & eiusdem pacis perpetuæ,

Sapientes, & prouidi viri ac I. V. Doct. Dominus Theophilus Fatus, & Dominus Paulus Emilius Granorius, ac Ser Papirius lamperinus, omnes de Terra prædicta compillatores, ordinatores, ac correctores Statutorum prædictæ Terræ, ad hæc assumpti, electi, & deputati per Consilium generale per quod in hac parte totius communis, & populi dictæ Terræ vices gerunt, & ex auctoritate eisdem concessa, infrascripta Statuta ordinauerunt, & publicauerunt, ad laudem illius a quo omnia bona procedunt.

INDEX

Capitulorum Statutorum Terræ Sancti Gemini.

Capitula libri primi de Regimine.

DE Iuramento Domini Locũtenentis,& Officialiũ. Cap. 1.
Quod D. Locumtenens teneatur ducere secum suf ficientes Officiales. cap. 2.
De officio Notarii D. Locumtenentis. cap. 3.
Quod D. Locumtenens,& sui Officiales nõ possint co medere, bibere, vel ludere cum hominibus dictæ Terræ. cap. 4.
Quod D. Locumtenens teneatur ire ad videndum quæ stiones, & differentias. cap. 5.
Quod D. Locumtenens teneatur seruare infrascripta capitula. cap. 6.
Quod D. Locumtenens non habeat sindicatum infra tempus. cap. 7.
De sindicatu D. Locumtenentis,& eius Officialium. cap. 8.
Quod D. Priores teneantur ire ad reuidendũ cõfinia cap. 9.
Quod Domini Priores teneantur stare ad sindicatũ. cap. 10.
De modo retinendi Sigillum Communis,& de literis, & bullectis sigillandis,& conseruandis scripturis. cap. 11.
De ordine Consilii generalis faciendi. cap. 12.
De ordine Consilii parui. cap. 13.
Quod quando tractatur de negocio alicuius personæ i Consilio,ille talis in eo non possit interesse. cap. 14.
De pena arrengantis vltra proposita. cap. 15.
De forma seruanda in alienationibus bonorum stabi lium Communis. cap. 16.
De electione Dominorum Priorum,& Camerarii. cap. 17.
De electione Sindici Communis. cap. 18.
De electione Medicorum physici,& chirurgici. cap. 19.
De electiõe Camerarii & Ludi magistri,& eius officio. cap. 20
De electione Baiuli,& eius officio. cap. 21.
De electione Viariorum,& eorum officio. cap. 22.
De electione Extimatorum Cõmunis,& eorũ officio. cap. 23.
Quod homines de Stroncono,de Lugnano,& de Arce antiqua fraternaliter tractentur. cap. 24.
Quod salariati a Communitate non possint remoueri ab officio,nisi in Consilio generali. cap. 25.
De modo imponendi,& soluẽdi datiuas Communis. cap. 26.
De pacibus fiendis. cap. 27.
De forensibus in dicta Terra commorantibus. cap. 28.
De forensibus donatis ciuilitate. cap. 29.
De immunitate forensium artificum. cap. 30.
De iure Congrui. cap. 31.
De ordine seruando per Colonos. cap. 32.
De Ambasciatoribus Communis eligendis, & eorum salario. cap. 33.
De honore fiendo in festo Sancti Gemini. cap. 34.
De Cæreo fiendo per Dominum Locumtenentem in festo Sancti Gemini. cap. 35

Capitula libri secundi Ciuilium.

DE modo procedendi in causis ciuilibus cap. 1.
De Citationibus, & modo procedendi contra Con tumaces. cap. 2.
De Feriis. cap. 3.
De Absentia alleganda. cap. 4.
De capitibus solidorum,seu salario in causis ciuilibus soluendo. cap. 5.
De modo procedendi in Causis Summariis. cap. 6.
Quod nõ vitietur processus ratione solẽnitatis omissæ. cap. 7.
De arbitriis,& quæstionibus compromittendis. cap. 8.
De Partitis fiendis,& iureiurando. cap. 9.
De Tutoribus dandis Pupillis,& Curatoribus. cap. 10.
De fide instrumentorum, & aliarum scripturarum pri uatarum,& earum existimatione. cap. 11.
De testibus ad perpetuam rei memoriã examinandis. cap. 12.
Quod fideiussores conseruentur indemnes. cap. 13.
De vendentibus rem alienam,vel alteri obligatam. cap. 14.
De forma seruanda pro mulieribus examinandis, cap. 15.
De executione sententiarum præceptorũ,& arbitrorũ. cap. 16.
Quod possit a tenuta recedi, & ad executionem perso naliter deueniri,& e contra. cap. 17.
De cessione bonorum,& modo cedendi. cap. 18.
De terminis dandis reis confessis ad soluendum. cap. 19.
De debitore suspecto cogendo. cap. 20.
Quod filius familias non possit se obligare sine con sensu patris. cap. 21.
De forma seruanda in alienationibus, & contractibus minorum, & mulierum. cap. 22.
De interdictione administrationis. cap. 23.
De restitutione dotis. cap. 24.
Quod mulier dotata,vel dotanda non succedat. cap. 25.
De officio Notariorum, & eorum mercede. cap. 26.
Quod Procuratores, & Notarii non possint exercere procuram, nisi in certa summa, & de mercede eis debenda. cap. 27.
De simulatis contractibus. cap. 28.
De probatione relictorum in testamento. cap. 29.
De successionibus ab intestato,& matris exclusione. cap. 30.
Quod Notarii,& alii de Terra Sancti Gemini non pos sint exercere aliquod officium in Curia Domini Lo cumtenentis. cap. 31.
Quod D. Locumtenens, & Officiales non recipiant executionem,nisi concordato principali. cap. 32.
De præscriptione. cap. 33.
De subhastationibus pignorum. cap. 34.
In quibus rebus executio fieri non possit. cap. 35.
Quod nulla mulier habens hæreditatem, possit nube re extra Terram Sancti Gemini. cap. 36.
De appellationibus in causis ciuilibus & criminalibus & de literis Recursus. cap. 37.

Capitula libri tertii Maleficiorum.

DE Citationibus, & modo procedendi in causis Cri minalibus. cap. 1.
Quod nullus ante sententiam debeat aggrauari. cap 2.
De sententiis ferendis. cap. 3.
De castigatione familiarium, & damnum dantium in possessionibns alterius. cap. 4.
De pœna blasphemantis Deum, beatam Virginem, & Sanctos. cap. 5.
De pœna portantis arma. cap. 6.
De insultu cum armis. cap. 7.
De pœna percutientis cum armis. cap. 8.
De pœna percutientis aliquem manu vacua. cap. 9.
De pœna dicentis verba iniuriosa alicui. cap. 10.
De pœna mulierum malæ famæ commorantium in Terra Sancti Gemini. cap. 11.
De delictis minorum,& eorum pœna. cap. 12.
De pœna falsi. cap. 13.
De pœna committentium homicidium. cap. 14.
De pœna auxiliantium ad perpetrandum aliquod de lictum. cap. 15.

De pœna forensis percutientis Terrigenam. cap.16.
De pœna impedientium officiales,& Baiulum in eorũ officio. cap.17.
De pœna imponenda per Dominum Locumt. & eius officiales. cap.18.
De pœna corrumpentis D. Locumt. & eius officiales. cap.19.
De pœna turbantis aliquem in possessione sua. cap.20.
De pœna Baiuli committentis fraudẽ in eius officio. cap.21.
De pœna furantis. cap.22.
De pœna frangentis pacem. cap.23.
De pœna petentis debitum iam solutum. cap.24.
De pœna immittentis ignem. cap.25.
De guasto, & damno dato. cap.26.
De pœna guastantis capannam alterius. cap.27.
De ueneficis, & factutariis,vel indouinis. cap.28.
De pœna exeuntis aliunde quam per portam. cap.29.
De receptatione bannitorum. cap.30.
De pœna vulnerantis,vel interficiẽtis animal alterius. cap.31.
De pœna extrahentis terminos. cap.32.
De pœna fraugentis carceres. cap.33.
De castigatione propinquorum. cap.34.
De proiectione lapidis de domo, vel aliunde. cap.35.
De pœna offendentis accusatum,dum iret ad se excusandum. cap.36.
De conuenticula illicita non facienda. cap.37.
De pœna deuastantis cupillos apium. cap.38.
De pœna aucupantis,& accipientis columbos. cap.39.
Quod liceat vnicuique currere ad rumores. cap.40.
Quod offerens idonee cauere carcerari non possit. cap.41.
De duplicatione pœnarum. cap.42.
De mitigatione pœnarum. cap.43.
De modo procedendi de similibus ad similia. cap.44.
De ponentibus ad domum alicuius rem iniuriosam, vel diffamatoriam. cap.45.
De pœna vendentis rem forensibus. cap.46.
Quod D.Locumtenens non possit procedere per inquisitionem in certis casibus. cap.47.
De bonis condemnandorum. cap.48.
De arbitrio Illustrissimorum in volumine statutorum reseruato. cap.49.

Capitula libri quarti Extraordinariorum.

De festiuitatibus custodiendis. cap. 1.
De ludo alearum,& taxillorum prohibito. cap. 2.
De pœna euntis post tertium sonum campanæ. cap. 3.
Quod nulli liceat prope terminum laborare. cap. 4.
De grassia non extrahenda. cap. 5.
De portantibus grassiam ad Terram S. Gemini cap. 6.
De capris non retinendis. cap. 7.
De Macellariis,& eorum ordine. cap. 8.
De vendentibus carnes morticinas. cap. 9.
De venditione carnium in territorio Podii Azzuani. cap.10.
De Pizzicarolis. cap.11.
De ponderibus,& mensuris. cap.12.
De pœna proiicientis bestiam mortuam prope Terram vel intus,& coria. cap.13.
De Tabernariis,& vinum vendentibus ad minutum. cap.14.
De Fornaciariis,& eorum ordine. cap.15.
De Fornariis,& ordine ipsorum. cap.16.
De ordine seruando per panificulos,& panem vendentes. cap.17.
De mutatione cursus aquarum. cap.18.
De fouea non facienda in præiudicium vicini. cap.19.
De fontibus manutenendis,& remundandis. cap.20.
De pœna proiicientis aquam molẽdinorum in via publica. cap.21.
De pœna facientis turpitudinem prope Ecclesias. cap.22.
De Molendinariis frumentorum. cap.23.
De pœna incigliantis in locis prohibitis. cap.24.
Quod nulla mulier intret claustrum religiosorum. cap.25.
De puteis communalibus. cap.26.
De mundatione viarum. cap.27.
De pœna laborantis prope, & extra muros Cõmunis. cap.28.
De pœna proiiciẽtis,& retinentis turpitudinem in viis, & proiicientis aquas in viis. cap.29.
De Textricibus, & earum ordine. cap.30.
De reparatione murorum Communis. cap.31.
In fauorem Gabellariæ,& Passagerii. cap.32.
De Anditis,& Cloacis existẽtibus intus,& extra Terrã. cap.33.
De occupatione viarum. cap.34.
De pœna falsificantium cæram in fabricando cæreos, & candelas. cap.35.
De nundinis,& mercatu fiendo. cap.36.
De aqua Morlonghi,nuncupata la formina. cap.37.
Quod quilibet teneatur facere hortum. cap.38.
Quod Cingari non possint stare in Terra, & territorio Sancti Gemini. cap.39.
Quod porci cuiuscunque generis non vadant per Terram Sancti Gemini. cap.40.
Quod Notarii forenses non possint se rogare, & facere aliquem contractũ in Terra,& territorio S. Gemini. cap.41.
Quod vindemiæ nõ possint fieri nisi ex decreto Cõsilii. ca.42.
De pœna negantis proprium nomen. cap.43.
De possessione, vel alia re locata sine licentia Domini non locanda alteri cap.44.
De via habẽda p possessionẽ vicini,& de via mutãda. cap.45.
De pœna extrahentium plantas,& vincuios. cap.46.
De pœna portantium intus Terram,ligna, arrones, & forcinas. cap.47.
De Limitibus,& Senatis. cap.48.
De pœna non remundantium,& incidentium sepes. cap.49.
De immunitate subditorum status Illustrissimorũ DD. cap.50.

Capitoli del libro quinto delli danni dati.

DE l'officio del Notario delli danni dati. cap. 1.
Delli Vallari,& guardiani de frutti. cap. 2.
De chi dara danno ad arbori domestici manualmẽte. cap. 3.
De chi tagliara viti. cap. 4.
Delle propagini,& maglioli. cap. 5.
Delli danni manuali a frutti domestici. cap. 6.
De chi dara danno manualmente a vue domestiche. cap. 7.
De chi dara danno in horti,& in campi manualmẽte. cap. 8.
De chi dara danno manualmente in oliue. cap. 9.
Delli danni manuali,e studiosi. cap 10.
De chi portara vua. cap.11.
De chi batteſſe giande,o mele seluatiche. cap.12.
De chi tagliaſſe,o cauaſſe arbori siluestri. cap.13.
De chi scapezzaſſe olmi,o altri simili. cap.14.
De chi deſſe danno in far fronde. cap.15.
De chi deſſe danno a legumi. cap.16.
De chi togliesse paglia di altri. cap.17.
De chi togliesse legne. cap.18.
De chi dara danno manualmente in grani,e biade. cap.19.
De chi dara danno in far herba. cap.20.
Della herba segnata,e bandita. cap.21.
De chi dara danno manualmẽte in grani tagliati,o nõ. cap.22.
De chi dara danno attrauersando grani,& altre biade. cap.23.
De chi fara semita,o tragetta per possessioni d'altri. cap.24.
Chi dara danno con licentia del padrone sia excusato. cap.25.
De chi andaſſe per possession d'altri doppo la prohibitione. cap.26.
Delli arbori,che pẽdessero sopra le possessioni d'altri. cap.27.
De chi castigaſſe alcuno dãno dãte nelle sue possessioni. ca.28.
Delle bestie dãno dãti a grani,biade,migli,& legumi. cap.29
Delle bestie trouate in possessioni, doue non siano racolti li mannochii. cap.30.
Che in danno dato si creda al giuramẽto del padrone. cap.31
Che nelli casi nõ espressi si proceda di simile a simile. cap.32.
Che ognuno si possa difender in danni dati. cap.33.
Che in danni dati da bestie non si proceda passati sei mesi. cap.34.
Che in danni dati non si creda a minori. cap.35.
Delle emende,e stime da pagarsi. cap.36.
Della duplicatione delle pene. cap.37.
Delle bestie forestiere trouate dentro il territorio di Santo Gemino. cap.38.
Dechiaratione di bestie grosse,& minute. cap.39.
Dechiaratione delle monete. cap.40.

FINIS Indicis Capitulorum.

STATVTORVM
TERRAE SANCTI GEMINI
LIBER PRIMVS
DE REGIMINE.

De Iuramento Domini Locumtenentis, & Officialium. Cap. 1.

VT ſalubriter per Rectores quoslibet ſibi commiſſum officium, & regimen exerceatur, ac fideliter operetur; ſtatuerunt, & ordinauerunt, q̃ D. Locumtenens pro tempore dictæ Terræ anteq̃ inciꝑiat eius officium exercere, vnà cũ ſuis officialibus iuret, & iurare debeat ad ſancta Dei Euãgelia ſcripturis corporaliter manu tactis, ipsũ officiũ gerere ſub infraſcripta forma, vz. dictã Terram, Cõmune, & homines Sãcti Gemini regere, gubernare, & manutenere ſub obedientia Sanctæ Matris Eccleſię & D. N. D. Papæ, ac etiam ſub obedientia, & dominio Illuſtriſſimorum Dominorum Domini Flauij Cardinalis Vrſini, & D. Virgilij ipſius germani fratris, Dominorum, & perpetuorum patronorum dictę Terræ; homines, & iura, ac iuriſdictiones dicti Cõmunis totis viribus defenſare, ſeruare, & ſeruari facere, & quælibet manutenere, & conſeruare pro poſſe in ſuo iure, & iuſtitia; reformationes, leges, & decreta, quæ ſunt, & in poſterum fient (dummodo nõ ſint contra Conſtitutiones in Terra prędicta) ſeruarę, & ſeruari facere, ac executioni mandare; bona prędicti Cõmunis conſeruare, ſaluare, reinuenire, ac deuenire facere in Cõmuni prędicto toto ſuo poſſe curare: necnon conſeruare Cõmune, & homines dictę Terræ in beneuolentia, & gratia Ciuitatum, Locorum circumſtantium, Terrarum, & vicinorum dictæ Terræ, omnem cauſam de medio tollere per quam Terrę vicinę aduerſus Commune, & homines dictæ terræ, ac bona ipſorum poſſent ad repreſalias, & diſcordias aliquas peruenire; datiuas imponendas per dictum Commune exequi, & exigere, & in vtilitatem Cõmunis conuerti facere ſine aliqua mercede: muros dictę Terræ ſingulis menſibus vnà cum dictę Terræ Cancellario reuidere, de quo per eundem Cancellarium fides fiat in libris Communis; & vbi expedierit reaptari, & reparari facere ſumptibus, & expenſis dicti communis, ſub pœna vnius floreni de marchia vice qualibet qua fuerit cõtrafactum; de geſtis, & gerendis per ſe, ſuoſq; officiales, & famulos in officio prędicto, & eo finito reddere plenariam rationem: iurabit etiã perſonaliter ſeruire in dicta Terra, & Cõmnni prędicto, & non per ſubſtitutum toto tempore ſui officij, nec aliqualiter ſe abſentare abſq; licentia p̃dictorum Illuſtriſs. Dominorum: & omnia alia, & ſingula facere, & fideliter operari, quę vtilia fuerint pro Communi, & hominibus dictæ Terrę, & inutilia prętermitterre, & euitare: attendere, & obſeruare quę in volumine, & huius Statuti capitulis ſeriosius continentur: & inſuper vnicuiq; ſeruare iuſtitiam in procedendo, pronuntiando, interloquendo, ſiue ſententiando, ad hoc vt

alíquis contra iuſtitiam non lędatur acta ſuperflua míníme fierí permittẽdo, & ſi non fecerint, in eo quod damnificauerint aliquem, teneantur partí lęſę ad intereſſe, & expenſas, in quibus ſindícatus tẽpore irremiſſibíliter condẽnẽtur.

Quod D. Locumtenens teneatur ducere ſecum ſufficientes Officiales. Cap. 2.

STATVERVNT, & ordínauerũt q; D. Locũtenens dícte Terrę teneatur, & debeat ſecũ ducere, & tenere durãte eius officio bonos, peritos, & ſufficiẽtes Notarios, & Officiales, ad hoc, vt quãdo caſus occurreret in dícta Terra, vel diſtrictu committi aliquod maleficium, poſſit, & valeat illud iuridice, rite, & recte formare, ac contra delinquentem procedere prout iuris fuerit.

De officio Notarii D. Locumtenentis. Cap. 3.

NE Tabelliones, & Officiales præfatí Domíní Locumtenẽtis queant de gerendis per eos ignorantiam allegare, hac Lege ſalubrí ſtatuerunt, q; Notarius deputatus ad ſcribendũ Ciuilia, & Criminalia teneatur, & debeat ſcribere oẽs ſcripturas tam ad Maleficia, q̃ ad Ciuilia ſpectantes, & omnes alias ſcripturas facere quæ ad eius officium pertinent, & ſpectant, & illas ponere, & ſcribere in quaternis ordinatis, & non in ſchedulis, & baſtardellis, vt de his volentibus copiam quorum intereſt, eam poſſit illico exhibere, & de ſcripturis primis, vel ſecundis a Cõmuní nihil p̃cipere poſſit, nec valeat, & omnia alia facere teneat, & debeat, quę ſibi ex forma Statutorum dicti Communis commiſſa eſſent, vel in futurum committerentur quocunq; ordine, vel modo, Addijcientes q; Notarius prædictus non poſſit, nec valeat facere, & rogare aliquem contractum obligationis, emptionis, venditionis, locationis, conductionis, permutationis, mutui, depoſiti, tranſactionis, vltimarum voluntatum, & donationum, vel alterius cuiuſcunq; generis, exceptis contractibus pacis, treguæ, compromiſſi, & mandati procurationum, de quibus ſolum, & dumtaxat valeat ſe rogare in actis tamen, & libris Curiæ ordinatis, vt ſupra, & non aliter, nec alío modo, & ſi ſecus factũ fuerit, & contrauentũ, inſtrumenta, & contractus cõtra prædictam formam ſint, & eſſe debeant ipſo iure, ſine alía declaratione, nulla, et inualída, & níhilominus incidat in pœnã decem florenorũ de marchía, & ad intereſſe partis læſę teneatur. Et inſuper Notarius prædictus nõ valeat, nec poſſit extrahere, ſeu copiare, vel extrahí, ſeu copiarí facere aliquam ſcripturam publicam, vel priuatam ex libris Ciuilibus ſuorum prædeceſſorum, exceptis ſcripturis ex libris ſuis proprijs, & ſuí dumtaxat prædeceſſoris immediate ſub dícta pœna.

Quod D. Locumtenens, & ſui Officiales non poſſint comedere bibere, uel ludere cum hominibus dictæ Terræ. Cap. 4.

VT Rectores, & Officiales Terrarum habitudíne honeſtiorí præfulgeãt, & ne familiaritas contemptum pariat, ſtatuerunt, & ordinauerunt, q; D. Locumtenens dictæ Terrę, nec aliquis eius officialis poſſit, nec debeat habere ſtrictam

cõuersationem comedendo, bibendo, nec ludendo ad aliquem ludum in Terra, & territorio Sancti Gemini cum aliquo seculari, vel Clerico de eadem Terra, sub pœna & ad pœnam vnius florení pro quolibet, & vice qualibet, & de prædictis nõ possit dari licentia, nec in aliquo prædictorum aliqualiter dispẽsari, Qui vero cõtra prædicta arrengauerit, in dicta pœna vice qualibet condẽnetur.

Quod D. *Locumtenens teneatur ire ad uidendum quæsliones, & differentias.* Cap. 5.

FINEM litibus imponere cupientes, statuerunt, & ordinauerunt, ꝙ D. Locumtenens dictę Terræ qui pro tempore fuerit, teneatur, & debeat vinculo iuramenti, & pœna vnius florení pro quolibet, & vice qualibet ire, & accedere ad uidendũ quęstiones, lites, & differẽtias vertentes inter homines dictę Terræ quomodocunq;, & qualitercunq;, intus, & extra dictam Terram ad petitionẽ cuiuscũq; petentis, & illas finire, decidere, & terminare prout iuris fuerit, & ꝙ eius salario, & mercede habeat, & habere debeat inter ambas partes, extra Senatas Carlenos duos, intus Senatas Iulium vnum, & intus Terram prædictã baiocchos quinq;, & vltra dictas summas petere, nec exigere possit, sub dicta pœna.

Quod D. *Locumtenens teneatur seruare infrascripta Capitula.* Cap. 6.

STATVERVNT, & ordinauerunt, ꝙ D. Locũtenens, & Officiales pro tẽpore non possint, nec valeant facere aliquam gratiam, seu compositionem alicuius pœnę excedentis summã sex florenorũ, & ab inde infra possint, & valeãt pœnas cõponere, & gratiare, cum præsentia tamen, & consensu Procuratoris Fischalis sub pœna quinquaginta florenorũ, minusq; accipere pecunias alicuius pœnę, sed illas soluí facere, & deuenire in manibus Factoris pręfatorũ Illustrissimorũ Dominorũ per viam bullectę, sub dicta pœna, & soluentes contra dictam formam, in duplum cõpositionis, & solutionis factę irremissibiliter cõdemnentur, Teneantur etiam facere vnum librum seorsum ab alijs, in quo scribantur, & scribi debeant omnes pœnę quę pro tẽpore ex quauis causa soluentur, conformem cum libro dicti Factoris, sub dicta pœna.

Quod D. *Locumtenens non habeat sindicatum infra tempus.* Cap. 7.

STATVERVNT, & ordinauerunt, ꝙ D. Priores dictæ Terræ pro tẽpore nõ possint, nec valeant vllo modo concedere sindicatũ infra tẽpus alicui Locũtenenti, seu Officialibus eiusdẽ Terræ, nisi prius obtẽtum fuerit in Consilio generali, sub pœna & ad pœnam vnius florení pro quolibet dictorũ Priorum, & vice qualibet, & nihilominus quidquid actum fuerit contra prędictam formã non valeat, nec teneat ipso iure.

De Sindicatu Domini Locumtenentis, & eius Officialium. Cap. 8.

AD hoc vt cuiq; iustitia administretur, & ne Rectores, & Officiales de gestis iniuste valeant gloriari, immo reddant de administratis plenariam rationem,

hoc ſalubri ſtatuto ſtatuerunt,q; domini Priores pro tempore dictæ Terræ teneantur, & debeãt in fine officij cuiuſlibet D.Locumtenẽtis vinculo iuramẽti eligere, & nominare in Sindicos,& Sindicatores duos ,pbos, & idoneos viros, & vnum Notarium dictæ Terræ, qui debeant ſindicare, & ratiocinari dictũ D. Locumtenentem, & ſuos officiales de geſtis, & adminiſtratis per eos, & quemlibet ipſorum durante tempore eorum officij, & officiales prædicti non poſſint vllo pacto Sindicos, & Notariũ ſic electos ſuſpectos allegare, niſi cauſa ſuſpitionis eſſet manifeſta, & tunc alij non ſuſpecti deputẽtur,quibus Communitas prędicta teneatur,& debeat perfecto ſindicatu dare, & ſoluere pro eorũ mercede florenum vnum pro quolibet,Et Notarius prædictus teneatur, & debeat ad petitionẽ cuiuſcunq; omnes,& quaſcunq; petitiones, & acta quæcũq; ſcribere, & adnotare,abſq; tñ aliqua alia mercede, ſiue præmio, Qui D. Locũtenens, & ſui Officiales ſtatim eorum officio depoſito teneãtur, & debeant cõſignare, & dare in manibus ſupradictorũ Sindicorum omnes libros, & baſtardellos per ipſos factos, & debeãt deinde ſtare,& morari in dicta Terra ad ſindicatũ coram dictis Sindicis ſex diebus integris, & continuis,& in primis tribus de ſero, & mane ad inſtantiam ſupradictorum Sindicorum debeant emanari, & fieri bandimenta per loca ſolita dictę Terrę, vt quicunq; vult aliquid petere ab ipſis D. Locumtenẽte, & Officialibus,coram eis comparere debeant, & ſi in dictis tribus diebus aliqui non cõparuerint,& petitionem aliquã nõ porrexerint, vlterius tunc non admittantur, nec recipiantur, Et D. Locũtenens præfatus prima die ſindicatus,& in prima ſeſſione teneatur,& debeat reſpondere in quiſitioni generali, & cautionem idoneam per ſe, & ſuis Officialibus præſtare de ſtando ad ſindicatum, & de ſoluendo omnem,& quamcunq; condemnationem in qua ipſe, vel ſui officiales venirent condemnandi, & ſi in dictis tribus diebus aliqua petitio eiſdem, vel alicui ipſorum non daretur, vel ſi qua friuola, irrationabilis, vel iniuſta, facta refutatione tunc per ipſos Sindicos abſoluatur, & libere recedere valeant. Si vero petitio aliqua daretur quæ admittenda eiſdem Sindicis videretur, ibidem tribus alijs ſimilibus diebus morari teneantur, in quibus de ipſis petitionibus valeant per dictos Sindicos abſolui, vel condemnari prout iuris fuerit. Et ſi aliquid fieret non ſeruata forma præfata, non valeat, nec teneat ipſo iure, & dictus D. Locumtenens, & ſui Officiales teneantur, & debeant parere ſententiæ ferendę per dictos Sindicos, a qua appellare vllo modo non valeant. Et dicti Sindici habeant auctoritatem, & baliam dictos Officiales repertos culpabiles punire, & condemnare ſecundum formã Iuris, & ſtatutorum, ordinamẽtorumq; dictæ Terræ,& quilibet D. Locũtenẽs in fine ſui officij teneatur, & debeat dare, & relinquere dicto Cõmuni,vel eius Camerario qui pro tempore fuerit vnum Archibuſium cum ſuis fornimentis valoris, & communis æſtimationis trium florenorum, Declarantes q; D. Locumtenens, & alij dictæ Terræ Officiales debeant per dictos Sindicos de geſtis per eos, & ſuper petitionibus porrectis ſummarie,& de plano diebus feriatis ſolemnibus, vel nõ ſolemnibus ſindicari,& poſſint terminos, & dilationes pro ipſorum arbitrio abbreuiare, ita q; vltima ſindicatus die dent, & promulgent abſolutoriã, vel condemnatoriã ſententiam, & Sindicus dicti communis teneatur,& debeat in termino probatorio per dictos Sindicos præfigendo pro

ducere pro verificatione iurium communitatis, & particularium super inquisitione generali statuta, reformationes, bastardellos, & bullectarios ipsius D. Locumtenentis sindicandi, ad pęnam quinq; florenorum si secus fecerit, Prouiso q; Sindici prædicti non possint, nec debeant residentiam facere, nisi facta pręsentatione archibusij prædicti per dictum D. Locumtenentem.

Quod Domini Priores teneantur ire ad reuidendum confinia. Cap. 9.

AD conseruandũ Iurisdictionẽ pręfatorum Illustrissimorum Dominorum, & iura Communis, statuerũt & ordinauerunt, q; D. Priores pro tempore existẽtes ante finem eorum Officij teneantur, & debeant ire circum circa confines dictæ Terræ, & videre terminos dictorum confinium, & illos recognoscere, & videre, & secum ducere quattuor iuuenes adminus ad instructionem ipsorũ, & iuuenes requisiti ab eisdem teneantur accedere sub pœna vnius floreni pro quolibet, & qualibet vice, & si dicti Domini Priores fuerint negligentes incidant in dictam pœnam.

Quod Domini Priores teneantur stare ad Sindicatum. Cap. 10.

VT Communitas Terræ prędictę ob defectum, & negligentiam dominorũ Priorum aliquod detrimentum, siue damnum non patiatur, & ęquum sit, & rationi congruum vnumquemq; de gestis per se rationem reddere, præsenti lege statuerunt, & ordinauerunt, q; Domini Priores dictæ Terræ vnà cum Camerario in fine eorum Officij teneantur, & debeant stare ad Sindicatum, & rationem reddere de gestis obmissis, & administratis per eos coram duobus Sindicis eligeñ per successores in officio, & coram Cãcellario dictę Terrę, qui teneatur, & debeat petitiones, & alia necessaria scribere, & accipere absq; præmio, & mercede tam sibi, q̃ dictis Sindicis, qui teneantur infra tres dies post introitum Dominorum Priorum successorum causam Sindicatus prædicti terminare, & finire summarie, & de plano, & sola facti veritate inspecta per sententiã condemnatoriam, vel absolutoriã scribendam per eundem Cancellarium in libro Cõmunis, a qua nõ valeat, nec possit vllo modo appellari, vel reductionẽ ad arbitrium boni viri peti, sub pœna decem florenorum pro quolibet contrafaciente, & in eandem pœnam incidant domini Priores, Sindicatores, & Cancellarius, si in prędictis, vel aliquo prędictorum negligentes fuerint.

De modo retinendi Sigillum Communis, & de literis, & bullectis sigillandis, & conseruandis scripturis. Cap. 11.

STATVERVNT, & pśenti lege decreuerũt, q; Sigillũ Cõmunis cõtinuò debeat detineri in cassa Cõmunis existente in Cancellaria, & Domini Priores pro tẽpore non possint nec valeant aliquas literas alicuius tenoris facere, vel illas sigillare, vel sigillari facere sine licentia, & consensu saltem parui Consilij dictæ Terræ, exceptis dumtaxat literis commendatitijs, et quę essent in euidentem vtilitatem, et commodum dicti Communis, cum consensu omnium Prio-

rum, vel maioris partis, et aliter fieri non possint, minusq; dicti D. Priores valeant facere, & sigillare aliquam bullectam in eorum vtilitatem, & si contingeret alicui facere aliquam bullectam pro debito Communis, non possit fieri nisi interueniente saltem maiori parte dictorum Dominorum Priorum, & bullectæ factę cõtra formam prędictam sint ipso iure nullæ, & exigi non possint, & si eas Camerarius, vel alius, cui directę essent, soluerit, de ipsorum proprio soluisse intelligatur, & Cancellarius qui eas scripserit non seruata forma prędicta incidat in pœnam vnius florení, & in eãdem pœnã incidat si scripserit aliquã bullectam pro semetipso pro eius salario exigendo a dicto Communi, & ipso facto suo officio sit priuatus, & bullectę exigi nõ possint vt supra, Addijcientes q̃ bullectę factę per dictum Commune, nisi fuerint per biennium exactę, sint & esse intelligantur præscriptæ, & exigi non possint.

De ordine Consilij generalis faciendi. Cap. 12.

CVM sępe expediat pro dicti Cõmunis negocijs exequendis generale Cõsilium congregare, super his igitur salubriter prouidentes statuerunt, & ordinauerũt, q̃ Domini Priores dictę Terrę pro tempore vnà cum domino Locum tenente quoties occurrerit Consilium generale pro negotijs Communis congregari, teneantur, & debeant vinculo præstiti Iuramenti die præcedenti de sero, publice bandiri facere per loca solita, & consueta generale Consilium, cum sono Campanæ magnæ de sero, & mane, & si aliter fieret non valeat ipso iure, & D. Priores contrafacientes incidant in pœnam decem florenorum pro quolibet, & vice qualibet, Prouiso q̃ Consilium prædictum sit, et esse debeat completum, et perfectum numero quadraginta hominum, Dominis Prioribus cõputatis, Liceat tamen vnicuiq; de dicta Terra accedere ad dictum Consilium, videlicet vni pro quolibet foculari, et familia, Declarantes q̃ in dicto Consilio interesse non possint forenses habitãtes in dicta Terra etiam per triginta annos, nisi fuerint donati ciuilitate a dicta communitate, et nati fuerint in ipsa Terra, et in ea habitauerint post ortum ipsorum per dictum tempus, Et liceat vnicuiq; in dicto Consilio existenti consulere, et arrengare super propositis, et partitis factis per D. Priores, et eorum dicta scribi debeant per Cancellarium dictę Terræ, dictaq;, et consulta quorumcunq; arrengantium, et consulentiũ super qualibet proposita, debeant palluctari, et ad partitum poni, et illud intelligatur victum, et obtentum, quod per maiorem partem fuerit approbatum, excepto q̃ quando tractaretur de expensis extraordinarijs, et insolitis, debeat vinci et obtineri p duas partes ex tribus, Et partita, seu consulta quęlibet debeat palluttari modo infrascripto, videlicet q̃ Baiulus Communis deferat fabas, siue lupinos nigros, et albos, illosq;, seu illas Consiliarijs ad eorum libitum dare, de quibus dicti Consiliarij ponant, et ponere debeant in bussula per dictum Baiulum portãda vnam tantũ, et non vltra, albam, vel nigram prout eis videbit, et alba recipiatur pro affirmatiua del sic, et nigra pro negatiua del non, et ita prius per Cancellarium declarari debeat, Et nemini liceat ponere in dicta bussula nisi vnum lupinum, siue vnã fabam in qualibet partita palluctanda, sub pœna quinquaginta florenorũ q̃ quolibet cõfaciente, et vice qualibet, et par

titum sic repertum non valeat, nec teneat, & pro non palluctato habeatur, & denuo palluctari debeat, Cancellarius vero prædictus teneatur, & debeat publice coram omnibus Cõsiliarijs, in banca palatij, & in disco numerare palluctas, siue fabas repertas in dicta bussula, & illarum numerum in libro Communis, prout illas inuenerit, scribere, & adnotare, sub pœna vnius florení de suo salario retinendi, Et memoratum Consilium non possit congregari, vel fieri absq; presentia saltem maioris partis DD. Priorum, & numero Consiliariorũ prædictorum, Et Consiliarij prædicti postq; ingressi fuerint palatium, durante consilio non valeant, nec possint inde discedere nisi prius obtenta licẽtia a D. Locumtenente, & DD. Prioribus, sub pœna vnius florení pro quolibet, & vice qualibet, Et totum id, & quicquid fuerit victum, decretatum, & obtentum in dicto Cõsilio, DD. Priores pro tempore eorum officio durante teneantur, & debeant pro posse exequi, & executioni mandare, sub pœna duorum florenorum pro quolibet, & vice qualibet.

De ordine Consily parui. Cap. 13.

QVONIAM quandoq; pro necessitatibus, & occurrentijs dicti Communis ex tempore, & eximprouiso obuenientibus Concilium generale difficiliter cohadunari, & congregari posset, salubriter prouidentes statuerunt, & ordinauerunt, ac presenti Lege decreuerunt, q; in dicta Terra fiat, & esse debeat continuè Consilium paruum in numero viginti hominum vltra DD. Priores, qui eligantur, & eligi debeant semper per Consiliarios præteritos, videlicet vnus pro quolibet in fine eorum officij, quod officium duret, & durare debeat per sex menses, Et in necessitatibus, & occurrentijs supradictis DD. Priores pro tempore teneantur, & debeant illos Consiliarios conuocare, & conuocari facere particulariter per Baiulum Communis, & etiam ad sonum Campanæ vt moris est, Et quicquid in dicto Consilio obtentum, & deliberatum fuerit, (dummodo in eo duæ partes saltem ex tribus dictorum Cõsiliariorum interfuerint, & seruatis modo, & forma tradita in præcedenti capitulo Consilij generalis) valeat, & roboris firmitatem habeat, ita atq; si in Consilio generali decretum esset, Et DD. Priores pro tempore exequi, & executioni mandare teneantur decreta, & obtenta in dicto Consilio, sub pœna contenta in supradicto precedẽti capitulo, Et si dicti Consiliarij modo prædicto conuocati, & moniti non accesserint, & interfuerint in dicto Consilio, puniantur in baiocchis decem pro quolibet contrafaciente, & vice qualibet, liceat tamen dominis Prioribus pro tẽpore, (si eis visum fuerit expedire,) alios homines dictæ Terrę conuocare, & conuocari facere, & homines sic vocati habeant vocem in dicto Consilio, ac si essent de numero dictorum Consiliariorum notati.

Quod quando tractatur de negocio alicuius personæ in Consilio, ille talis in eo non possit interesse. Cap. 14.

STATVERVNT, & ordinauerunt, q; quotiescũq; tractabitur in aliquo Consilio generali, siue paruo de facto, & interesse alicuius specialis, vel specia

lium perſonarum dictæ Terræ, D. Locumtenens, & Priores ſub debito præſti ti iuramenti faciant recedere de dicto Conſilio extra Palatium illum, vel illos quorum intereſt, vel intereſſe poterit, & eos tangeret, vel tangere poſſet illud quod in dicto Conſilio tractatur, & illæ tales perſonæ nullo modo ſint preſentes, & hoc publice bandiri faciant in ipſis Conſilijs.

De pœna arrengantis ultra propoſita. Cap. 15.

NE Conſiliarij, & Oratores transgrediendo terminos valeant aliquid vltra propoſita conſulere, & arrengare, ſtatuerunt, & ordinauerunt, ꝙ nullus Conſiliarius conſulat, vel arrenget vltra propoſita deſcripta, & adnotata per Cancellarium, qui vero contrafecerit puniatur de facto per D. Locumtenentē eius arbitrio.

De forma ſeruanda in alienationibus bonorum ſtabilium Communis. Cap. 16.

AD hoc vt bona communis perpetuò in vtilitatem publicam conſeruētur, ſtatuerunt, & ordinauerunt, ꝙ bona ſtabilia dicti Communis non valeant, nec poſſint alienari quocunq; modo, niſi ex vrgentiſſimis cauſis, & intereſſe eiuſdem Communis, & eo caſu alienatio aliter fieri non valeat niſi prius in publico Cōſilio per tres partes ex quattuor Conſiliariorum victum, obtētum, & decretū fuerit, pro alijs vero cauſis bona prædicta alienari aliquo quæſito colore non poſſint, niſi modo quo ſupra in tribus Conſilijs publicis, diuerſis temporibus, & Prioratibus faciendis victum, & obtentū fuerit modo quo ſupra, & ſi aliter fieret, non valeat, nec teneat ipſo iure, Et contrahentes cum DD. Prioribus, & alijs Cōmunis nomine non ſeruata forma prædicta, incidāt in pœna florenorum decem pro quolibet, & qualibet vice, & in eandem pœnam incidant DD. Priores, & alij contrafacientes.

De electione Dominorum Priorum, & Camerarij. Cap. 17.

VT negocia Communis ſalubriter, & ſolertius expediantur, & per probos, & idoneos viros diſcernantur, et fideliter gubernentur, hac præſenti Lege ſtatuerunt, et ordinauerunt, ꝙ in Terra præfata continuò ſit, et habeatur Officiū DD. Priorū, qui ſint in numero quattuor, et eligantur, extrahanturq; modo infraſcripto, videlicet ꝙ in Conſilio publico eligantur, et eligi debeant quatuor homines dictæ Terræ idonei ad faciendū buſſulā vnà cū DD. Prioribus pro tēpore exiſtētibus, in qua quidē Buſſula debeāt per eoſdē ſcribi, adnotari, eligi et imbuſſulari quadraginta homines probi, et idonei dictę Terræ, et ex eis cōficere decem palluctas, et in vna quaq; debeant eſſe ſcripti, et annotati in ſchedula introcluſa quatuor ex hominibus ſupraſcriptis, et eorum officium duret et durare debeat per tres menſes, et extrahi debeant ſemper octo diebus ante finem cuiuſlibet Prioratus, et palluctæ præfatæ teneantur, et teneri debeant in vno Buſſulo ſigillando ſigillo Communis per Cancellarium dictæ Terræ, et in ſacriſtia Sancti Frācīſci in loco ſolito. Et ſi contingeret in extractione aliquem ex DD. Prioribus extractū a Terra pręfata abeſſe, vel eſſe mortuū, tunc

alij

alíj præſentes teneantur per Baíulum dícti Communís ad domum abſentis notificari facere qualiter eſt extractus de DD. Príoribus dictæ Terræ, & quod debeat infra decem dies redire, ſi voluerit, alias termíno prædícto elapſo, debeant extrahere vnum alium in loco ſui de buſſula ſpicciolatorum, quæ quidem buſſula fiat, & fierí debeat per ſupraſcríptos electos, & modo quo ſupra, quod ſi non fecerint, pœna duorum florenorum pro quolíbet tempore ſindicatus ípſorũ mulctentur. Et ſemp finito buſſolo, alíj reímbuſſulentur, & elígantur, mõ, & forma ſupſcríptís, & nõ alías, aliter, nec alío mõ. Qui DD. Príores príma díe ípſorum officíj teneãtur, & debeant ſe cõgregare in palatío D. Locumtenentís, & vna cũ eo accedere ad Eccleſiã Sãcti Gemíní, ibiq; auſcultare míſſam Spũs ſancti; & poſtmodũ ad palatíũ pdíctum redíre; & íurare ad ſancta Dei Euãgelía manibus tactís ſcripturís ad Cãcellaríj dícti cõís delationẽ; de bene, & fideliter eorum officiũ exercẽdo, & deſtando ad ſindicatum ſecundum formam ſtatutorum; & íuramentum prædictum, per dictnm Camerarium in líbrís communís annotarí, & ſcríbí debeat. Et aliter prædícti DD. Príores ad adminiſtrationem eorum officíj non admittantur, nec recipiantur. Et DD. Príores prædícti de bonís, & pecuníis dícti Communís valeant, & poſſint ſine deliberatione Conſilíí expendere pro commodo, & vtílitate eiuſdem communís inter omnes florenos duos, & pro cęna ſolíta florenos tres, & non ultra, niſi cum deliberatione Conſilíí. Eodem modo, & forma elígatur, & elígí debeat per ſupradictos domínos Príores, & ímbuſſulatores, vnus bonus, & idoneus Camerarius, qui ſcríbí debeat, & annotarí in fine ſchedulæ cuiuslibet ſupradictarum palluctarum; & ípſius officium duret, & durare debeat vt ſupra. Qui ſic electus deſcríptus, & extractus íurare debeat modo ſupradícto, & eius officium bene, & fideliter exercere: et omnes introítus, & exítus dícti Communís ſuo durante officio fideliter ſcríbere, & annotare in líbro per ípſum conficiendo; & de geſtís per ípſum finito officio, plenariam reddere rationem; & vna cum dictís DD. Prioribus ſtare ad ſindicatum modo, & forma prædictís; & habeat, ac habere debeat pro ſuo ſalarío, & mercede íulíos tres, de quíbus dare, & ſoluere debeat Camerarío dictæ Terræ pro regeſtratione ſui baſtardelli ínlíbro groſſo Cameraríorum Cõmunís íulíum unum cum dímídío. Et ſi prædictus Camerarius in prædictís vel alíquo prædictorum negligens fuerit, vel alíquo modo contrafecerit, ad intereſſe Communís teneatur, & puníatur pœna duorum florenorũ vice qnalíbet. Addiícientes quod Camerarius prædictus teneatur in príncipio ſui officíí facere inuentarium, manu Cãcellaríí Cõmunís, omnium bonorum, & ſcripturarum Cõmunís exiſtentium in capſa, & Cancellaria dícti Cõís, vel alíbí; & ſimiliter finito officio, per inuentarium, vt ſup. Camerario ſucceſſorí íllas cõſignare, & de íllís rationẽ reddere, vt ſup.

De *electione Sindici Communis.* Cap. 18.

STATVERVNT, & ordínauerunt quod in Terra prædicta ſemper habeatur & ſit pro publícis negotiís exequendís vnus bonus, & idoneus Sindícus, qui ellígatur, & extrahatur modo, & forma ex buſſolo conficiendo, pro vt in præcedenti capítulo: & ípſius officium duret, & durare debeat per annum. Qui Sindícus vt ſupra electus, teneatur, & debeat, vínculo iuramentí per ípſum præſtandí, omnía iura, res & bona dícti Cõmunís totís víríbus defenſare, & indefenſa non relinquere; & quoties opus fuerit. & Communí expedire cognoſcet, contra D. Locumtenentem, & alíos officiales, & DD. Príores, nomine Communís, & pro ípſius Com-

munis intereſſe, proteſtare, et proteſtationes per Cancellarium in ſcriptis in libris Communis redigi facere, et alia exequi, et operari, quæ ad ipſius officium ſpectabunt, et pertinebunt. Et ſi in prædictis, vel aliquo prędictorum defecerit, vel negligens fuerit, pœna duorum florenorum vice qualibet puniatur.

De electione Medicorum phyſici, & chyrugici. Cap. 19.

CVM iure cautum reperiatur, quod vbi maius eſt periculum, ibi cautius ſit agendum: pręſenti lege ſtatuerunt, et ordinauerunt quod Domini Priores pro tempore, curent, et curare debeant omni diligentia, et cura adhibita, reperire, & habere vnum expertum, & peritum Medicum phyſicum: et eo reperto, proponatur in publico Conſilio dictæ Terræ: et in eo per Conſiliarios palluctetur, et vincatur per duas partes ex tribus. Et ſi contigeret in dicto Conſilio per conſiliarios plures Medicos proponi, debeant omnes poni ad partitum, et palluctari: et ille victus, et obtentus intelligatur, qui plures palluctas habuerit, dummodo duas partes excedat, vt ſupra; et eidem literæ patentes fiant, et mandentur, cum ſalario centum ducatorum de carlenis pro quolibet anno, et ſcutorum quinq; pro eius domo per ipſum conducenda: ſoluendo, vt moris eſt. Qui Medicus ſic electus, non debeat, nec poſſit a dicta Terra ſe abſentare vllo pacto, ſine licentia Dominorum Priorum pro tempore, ſub pœna vnius ſcuti pro qualibet vice, & die qualibet qua eſſet abſens. Et eodem modo, & forma eligatur, & eligi debeat Magiſter Chyrugicus, cum ſalario, mercede, & capitulis faciendis, & ordinandis in conſilio generali.

De electione Camerarij, et Ludi magiſtri, et eius officio. Cap. 20.

AD hoc vt Terra prædicta hominibus ſcientificis, & imbutis ſcientiis, & literalibus documentis repleatur, & omni præfulgeat dignitate: hac ſalubri lege ſtatutaria decreuere, quod in dicta Terra continuo habeatur, & retineatur vnus bonus, & expertus Magiſter Grammatices ad legendum, & docendum diſcipulos in dicta Terra; qui teneatur etiam inſeruire Communi pro Cancellario, & ſcribere conſilia, reformationes, & alia neceſſaria dicti Communis, nec non literas cuicunq; directas: & in fine ſui officii dare, & conſignare dictis Prioribus pro tempore exiſtentibus, pro dicto Communi librum, ſeu libros per eum factos, & deſcriptos in publicam formam, in quo ſeu quibus contineantur inſtrumenta, & omnia alia ſpectantia ad ipſam Communitatem; nec non ſoluere, & dare dicto Communi quolibet anno in feſto Sancti Gemini, vnam baliſtram ualoris decem carlenorum; quam DD. Priores pro tempore faciant in dicto feſto poni, & ludi in platea Abbatiæ Sancti Gemini, & vincenti concedi, Et dictus Cancellarius, & Ludimagiſter habeat a Communi pro Cācellaria in quolibet anno ducatos viginti quatuor de carlenis, ad carlenos decem pro quolibet ducato; & totidem habeat, & habere debeat á diſcipulis euntibus ad eius ſcholam, ſecundum taxam fiendam per homines in Conſilio eligendos. Et ſi dictus Cancellarius fuerit negligēs in ſcribendo res ſpectantes ad dictam Communitatem, & in exercendo eius officium, incidat in pœnam decem florenorum de ſuo ſalario retinendorum. Et nihilominus omnia obmiſſa ſcribere teneatur, & baliſtram ſoluere pro quoliber anno, etiā quod in dicto feſto non ſoluerit.

De electione Baiuli, & eius officio. Cap. 21.

STATVERVNT, & ordinauerunt quod DD. Priores pro tempore existẽtes, quoties opus ferit, teneantur, & debeant in Consilio generali dictæ Terræ proponere, & eligi facere vnum idoneum, & expertum Baiulum, pro neceſſitatibus, & ſeruitiis Communis dictæ Terrę, & officialium: qui electus iuret, & iurare debeat in manibus Cancellarii eius officium bene, et fideliter exercere, et bandimenta, et citationes facere ad petitionem cuiuſcunq; petentis, prout hactenus conſuetũ eſt. Et vt quilibet de dicta Terra, et degens in ea de bandimẽtis per Baiulũ fiendis notitiam habeat, et de eis ignorantiam allegare, vel prætendere non poſsit, cum vox præconis, paucis innoteſcat; ſtatuerunt et ordinauerũt præſenti lege, quod Baiulus pro tempore teneatur, et debeat vinculo iuramẽti, et ad pœnam vnius floreni pro qualibet vice qua conttafecerit, omnia bandimenta facere, et notificare alta, et intelligibili voce, in oĩbus infraſcriptis locis, videlicet, in platea Sancti Ioannis, in platea palatii, in Triuio hæredũ Ser Permatthæi Fadulphi prope Eccleſiam ſocietatis corporis Chriſti, et in platea Sancti Franciſci, in Campo floris ante domum hæredum Fabii Ser Octauiani, et ante Eccleſiã Sancti Bernardini; ante Monaſteriũ Sanctæ Catherinæ, ante Eccleſiã dirutã Sancti Angeli, et in platea Sancti Stephani; excepto quando ſubhaſtantur pignora, tunc fiant in platea Sancti Franciſci ſolũ tribus vicibus, et tribus diuerſis diebus.

De electione Viariorum, & eorum officio. Cap. 22.

VT cura ſolers, & vigilis circa Viarum manutentione intus, & extra Terram exiſtentium habeatur: & ne progreſſus earum impediatur, decreuerunt, & ordinauerunt, quod DD. Priores pro tempore teneantur, & debeant vinculo pręſtiti iuramenti, eligere quatuor ſufficientes, & expertos homines, & Viarios duos, videlicet à parte ſuperiori, & duos a parte inferiori dictæ Terrę, quorũ officiũ duret per annũ, qui teneantur, & debeant, vinculo iuramenti ipſis præſtãdi, videre vias intra dictã Terrã, & continue eas liberas, & apertas facere retineri: & ſimiliter extra terram rimari, & perquirere teneantur ſemel in anno, videlicet in principio menſis Maii cuiuſlibet anni, vſq; ad mediũ dicti mẽſis, in quo debeãt perquirere in ſtradis, tam publicis, quam priuatis, & vicinalibus, & ſi aliquid apprehẽſum, occupatũ, vel appoſitum, ſeu quoquo modo impeditum inuenerint: debeãt arbores impediẽtes ſignare cum ſecuri, & ripas, ſeu limites ſignare, & fodere cum zappa, prout eis videbitur expedire, adeo q; viæ publicæ ſint, & eſſe debeant liberæ, & expeditæ, latitudinis duodecim pedum manus: viæ autem vicinales, & priuatæ exitum habentes, ſex pedũ ſimiliũ. Et domini, & patroni poſſeſſionũ iuxta ipſas vias teneãtur, & debeant per totũ dictũ menſem, arbores, ripas, limites, & ſepes, per dictos Viarios ſignatas incidere, explanare, & remouere: & omnia alia facere, & adimplere, quæ per eoſdem eis, & cuilibet ipſorum fuerint iniuncta, & mandata ſub pœna decem baiocchorum pro quolibet contrafaciente, & pro qualibet via: & nihilominus illas vias reparare, & reaptare teneantur, vt ſupra, ſub eadem pœna decem baiocchorũ Et ſi dicti Viarii fuerint negligentes in adimplendo prædicta, incidant in pœnam duorum florenorum pro quolibet, & vias prædictas videre, & ſignare teneantur. Et ſi aliqua differentia oriretur inter homines dictæ Terræ ſuper dictis viis, tam intus, quam extra: teneãtur ipſi Viarii ad petitionem cuiuſcunq;

petentis, illas videre, et terminare, prout sibi videbitur expedire, sub dicta pœna. Et pro prædictis exequendis, sufficiant duo ex dictis Viariis, & habeant auctoritatem, ac si omnes quattuor adessent. Addicientes quod si viæ publicæ ex nimia pluuia, vel ex se, absq; tamen culpa, & defectu adiacentium essent fangosæ, & difficilis transitus, debeant per Cõmune dictę Terræ salciari, reaptari, & reparari. Priuatę autem vię per euntes, & redeuntes. Et DD. Priores pro tempore teneantur, & debeant prædicta omnia bandiri facere prima die dicti mensis, in locis solitis, & consuetis, sub pœna vnius floreni pro quolibet. Et dicti Viarii habeant, & habere debeant a dicto Cõmuni pro eorum salario, & mercede florenum vnum pro quolibet, & pro quolibet anno.

De electione Extimatorum Communis, & eorum officio. Cap. 23.

STATVERVNT, & ordinauerunt quod Domini Priores pro tempore elige re debeant, vt supra, quatuor expertos viros, Extimatores. quorum officium du ret per annum, qui teneantur, & debeant ad petitionem cuiuscunq; petentis, vin culo præstiti iuramenti, & pœna vnius floreni pro quolibet, & qualibet vice, ire, et accedere ad videndum, et extimandum omnia damna, quomodocunq;, & qua litercunq; facta, tam per bestias, quam per personas, in territorio dictæ Terrę, et adnotare, & ponere omnes extimationes per eos fiendas in vno bastardello, seu libro, & de illis quoties fuerint requisiti, relationem in Palatio facere coram Nota rio Curię, vel extra Palatium, de partium voluntate, & concordia. Et habeant, & habere debeant pro ipsorum mercede, pro qualibet extimatione intra Senatas ba iocchos duos, videlicet vnum pro quolibet, et extra Senatas baiocchos quatuor, vt supra, et plus petere non possint. Et sufficiant duo Extimatores pro qualibet extimatione fienda, & eorum relationi, & extimationi stetur, & credatur. Addicientes, quod si dum Extimatores forte haberi non possent ex aliqua causa, liceat damnum passis ducere secum aliquos duos idoneos viros ad extimandum damna sibi illata, habita, & obtenta prius licentia a Domino Locumtenente dictę Terræ, et relationi ipsorum cum iuramento stetur, & credatur, vt supra.

Quod homines de Stroncono, de Lugnano, & de Arceantiqua fraternaliter tractentur. Cap. 24.

CVM in antiquis terrę Sancti Gemini ordinationibus, & decretis reperiatur, & colligatur, non paruam inter homines dictæ Terræ, & Stronconii, Luguani, & Arcisantiquę beneuolentiam, & fraternitatem non modicam fuisse, ad illam perpe tuo seruandam, & ampliandam, statuerunt, & ordinauerunt, quod Communitas Terrę prædictæ in omnibus occasionibus, & occurrentiis supradictarum Commu nitatum, & particularium illarum, pro posse debeat eis, & ciuibus ipsarum fauere & auxiliari, & opem ferre, cum bonis, & personis, toties quoties expedierit, & ho minibus dictarum terrarum, & locorum liceat libere per territorium, & terrã præ dictam pertransire de die, & de nocte, cum eorum mercantiis, vel sine, & ex eadem bona quæcunq; extrahere pro eorum vsu, absq; solutione aliqua vectigalis, seu ga belle. Et si Gabellarii secus fecerint, & ipsos, vel eorum quemlibet molestauerint pro aliqua gabella, puniantur pœna vnius floreni pro quolibet, & vice qualibet, & nihilominus si aliquam gabellam extorserint, duplicatã restituere cõpellantur.

Adii

Addiícientes quod líceat hominíbus dictorum locorum ad eorum líbitū pertran sire, ſtare, & morari in Terra prædicta; & per eam portare arma offēſibília, & defen ſibília, abſq; aliqua pœna, & ab Officialibus dictę Terræ quoquomodo moleſtari non poſſint, ſub pœna decem florenorum pro qualibet vice qua contrafactum fuerit; dummodo capitaliter banditi, & condemnati non eſſent. Et ſi in dicta Terra habitare voluerint, & in ea domum habere, Communitas prædicta teneatur, & debeat eis, & cuilibet ex ſupradictis petentibus dare, & aſſignare gratis ſitum pro vna domo conſtruenda, & ædificanda, reſeruata ſemper voluntate ſuperiorum omni tempore, & omni caſu.

Quod ſalariati a Communitate non poſſint remoueri ab officio, niſi in Conſilio generali. Cap. 25.

STATVERVNT, & ordinauerunt quod Domini Priores pro tempore non poſſint, nec valeāt, Medicos, Cancellarium, Baiulum, & omnes ſalariatos à Communi, ab eorum officio expellere, & remouere, abſq; Conſilio generali, ſub pœna vnius florení pro quolibet, & vice qualibet qua fuerit contrafactum, & nihilominus eorum reuocatio, & remotio nihil valeat, & pro infecta habeatur.

De modo imponendi, & ſoluendi Datiuas Communis. Cap. 26.

QVONIAM onus graue eſt, quod ea quæ ab omnibus debentur, à paucis perſoluantur, ſtatuerunt, & ordinauerunt, quod de omnibus, & ſingulis poſſeſſionibus in diſtrictu, & territorio Sancti Gemini ſituatis, ſiue ſint poſitæ, & allibratę in cataſtis dicti Communis, ſiue non, à quibuſcunq; poſſeſſis percipiant fructus, teneantur, & debeant poſſeſſores cuiuſcunq; ſtatus, & conditionis exiſtant, omnes & ſingulas Datiuas & collectas in poſterum per Commune dictæ Terræ impo nendas pro ipſis poſſeſſionibus, & terris, cū effectu ſoluere. Et forenſes habentes bona, & poſſeſſiones in territorio prædicto, teneantur, & debeāt infra decem dies, poſtquam ad ipſos, vel eorum quemlibet peruenerint, illas accataſtari facere per Cancellarium dictæ Terræ, in cataſto Communis, ſub pœna decem florenorum pro quolibet contrafaciente, & vice qualibet. Et nihilominus teneantur ſoluere omnes collectas, & Datiuas vſq; ad illum diem in quo venerint ad accataſtandum, per dictum Communem imboſſitas, ſecundum communem ęſtimationem fiendā de terris ipſorum per duos homines eligendos per generale Conſiliū dictæ Terræ, declarantes quod Datiuę pro triennali ſubſidio ſoluantur modo infraſcripto.

Pro quolibet centenario pecudum ſoluantur floreni tres pro quolibet anno, & baiocchi tres pro qualibet beſtia groſſa, porco, & capra, dummodo ſupra ſex menſes, reſiduum vero per duas partes ſoluatur ex libra, alia vero pars ſoluatur per capita, & focularia; & capita intelligantur de maſculis quatuordecim annorum cnmpletorum. Et forenſes poſſidentes bona ſtabília in terra, & territorio Sancti Gemini vltra valorem ſeptuaginta ducatorum de carlenis, teneantur, & debeant annuatim ſoluere, & contribuere pro ſolutione triennalis ſubſidii ratam eis obue nientem ſecundum diſtinctionem deſuper factam, & poſſidentes bona ſtabília a ſeptuaginta quinq; ducatis infra, non teneantur aliquid ſoluere pro Datiuis impo nendis, niſi debitam, & ſolitam Datiuam, ſiue gabellam Illuſtriſſimorū D D. & c. Et omnes Datiuæ imponēdæ per Cōmunitatem ex quacunq; cauſa debeant ſolui

modo

modo & forma ſupradictis; excepta datiua imponenda pro ſalario Phiſici, & Chyrugici; quæ ſolui debeant durante ſubſidio prædicto, per capita, & focularia, à qua ſolutione forenſes degentes in terra Sancti Gemini immunes, et exempti exiſtant.

De pacibus fiendis. Cap. 27.

VTINAM circa pacis diſpoſitionem, et compoſitionem Spiritus Sanctus corda noſtra illuminare dignetur, et taliter inſpirare, vt hæreditatem pacis quam Dei filius in ſuo teſtamẽto reliquit cõſequi valeamus. Hac lege inuiolabili decreuerunt, & ordinauerunt, quod Domini Priores dictæ Terræ, qui pro tẽpore fuerint quolibet anno in principio quadrageſimalis prædicationis, vna cum Reuerendo Patre Cõcionatore eligãt, et eligere debeãt quatuor probos, et diſcretos viros Pacerios, et quatuor honeſtas, et morigeratas mulieres Pacerias, qui, et quæ teneantur, et debeant ob officium, eis iniunctum perquirere, et inueſtigare, an odium, vel particularis inimicitia ſit inter homines dictæ Terræ: et omni cura, et ſolertia eos, et eas ad pacem, et concordiam reducere conentur pro poſſe: ad hoc vt omnia de bono in melius virtute pacis augeãtur. Et ſi in prædictis Domini Priores negligentes fuerint, incidant in pœnam florenorum decem pro quolibet.

De forenſibus in dicta Terra commorantibus. Cap. 28.

QVONIAM indecens eſt quod forenſes non habitantes continuo in dicta Terra, habeant in ea aliquod officiũ; ſtatuerũt preſenti lege, & ordinauerũt, quod nullus forẽſis degens in dicta terra poſſit, nec debeat habere in ea aliquod officiũ, niſi eſſet natus in ea, et poſt habitauerit per triginta annos: et in bonis ſtabilibus propriis poſſideat vſq; ad valorem centũ ducatorũ de carlenis: et ſi aliter electus fuerit, talis electio nõ valeat, nec teneat ipſo iure: ſed, & eligentes cõtra formã prædictam, incidant in pœnam decem florenorũ pro quolibet: & electus, ſi officium acceptauerit, puniatur eadem pœna: & Dominus Locumtenens teneatur ad petitionẽ cuiuſcunq;, contra eos procedere, & pœnas ab eiſdẽ exigere, ſub dicta pœna: addiciẽtes quod nullus forenſis poſſit habitare in dicta Terra, niſi obtenta prius licentia ab Illuſtriſſimis Dominis, ſub dicta pœna: in qua etiã incidant eorũ receptatores, & domos locantes.

De forenſibus donatis ciuilitate. Cap. 29

STATVERVNT, & ordinauerunt, quod ſi quis forenſis fuerit per Conſiliũ generale dictæ Terræ aſſumptus in ciuem, & donatus ciuilitate: talis ſic electus nõ valeat, nec poſſit in territorio dictæ Terræ habere, vel retinere aliquas beſtias cuiuſcunq; generis, niſi fuerint à dicta Communitate, vel alio eius nomine affidatæ, ſub pœnis contentis in capitulis dicti Communis. Sed ſi talis ſic electus continue habitauerit in dicta Terra, poſſit & ſibiliceat retinere beſtias prædictas, prout licet aliis hominibus eiuſdem Terrę.

De immunitate forenſium artificum. Cap. 30.

VT in dicta Terra attificum bonæ conditionis, & famæ copia habeatur, ſtatue

runt

runt, & ordinauerunt, quod si aliquis artifex forensis bonæ conditionis, vitæ, & famæ voluerit habitare in dicta Terra, & artem suam fideliter exercere: primo, & ante omnia debeat obtinere licentiam ab Illustrissimis Dominis: quod si non fecerit, nullatenus receptetur: & Dñs Locũtenens illum expellere, & expelli facere teneatur ad petitionẽ cuiuscunq; ad pœnã decẽ florenorũ. Et si talis forensis, & artifex licentiã habuerit, obseruatis conditionibus in licentia ab eisdem impositis, tunc possit in dicta Terra libere commorari; & per decem annos continuos sequendos sit immunis à quibuscunq; factionibus realibus, & personalibus dictæ Terræ. Saluo quod si libram habuerit, vel infra dictum tempus aliquid emerit in dicta terra, seu eius territorio, quod tunc teneatur, & debeat pro eo quod possederit soluere dicto Communi libram, & datiuas imponendas.

De iure Congrui. Cap. 31.

AD obuiandum scandalis, quæ ex venditionibus aliquando oriri possunt: statuerunt, & ordinauerunt, quod habentes possessiones, & domos intus, & extra Terram prædictam, tam terrigenę, quã forenses, illas non valeant, nec possint vendere, nisi prius requisitis consanguineis suis, vsque in secundum gradum, secundũ ius canonicum computandum; & illis volentibus vendere, & dare pro pretio inter eos conuento, si concordes fuerint: sin autem ad extimationem duorũ hominum communiter eligendorũ. Quod si dicti consanguinei emere recusauerint, teneantur, et debeant requirere conuicinos, et habentes bona contigua bonis, quæ vendere voluerint, & eisdem dare, & vendere pro pretio modo vt supra declarato. Et si plures fuerint consanguinei, & vicini, proximiori in gradu, & vicino maiorem possessionẽ habenti, bona prædicta dari, & vendi debeant omnibus aliis exclusis volentibus supradictis emere pretio, & modo vt supra. Et si dicti consanguinei, siue vicini respectiue, dixerint se velle emere bona eis modo vt supra oblata, habeant terminũ decem dierum a die obligationis ad concordandum de pretio, vel extimatores eligendum; dummodo per ipsos non steterit. Et si prædicti consanguinei, vel vicini dixerint se nolle emere, liceat venditoribus vendere cuicunq; voluerit, forensibus exceptis, & de oblatione prædicta constet, & constare debeat manu publici Notarii, vel apud acta Curiæ. Et si aliter factum fuerit venditio sit ipso iure nulla: & consanguinei, & vicini ordine seruato vt supra, valeant, & possint possessionem, vel aliud contra formam præsentis statuti venditium vendicare a quocunq; infra annũ a die factæ venditionis, soluendo, vel deponendo iustum pretium vt supra. Et in prædictis Dominus Locumtenens pro tempore, teneatur ad pœnam decem florenorum prædicta omnia executioni mandare summarie, & de plano, & sola facti veritate inspecta, ad petitionem cuiuscunq; petentis. Et prædicta locum habeant in omnibus cõtractibus alienationũ rerũ stabiliũ, & omnibus aliis instrumẽtis, & conuentionibus, quibuscunq;, exceptis contractibus traditionum bonorũ stabilium in fundo dotali. Et nihilominus vendentes contra dictam formam pœna prædicta puniantur.

De ordine seruando per Colonos. Cap. 32.

AD tollendum lites, & quæstiones, quæ oriri possent inter locatores, & conductores possessionũ: præsenti lege statuerunt, & ordinauerunt, quod Coloni possessionũ

sionum teneantur,& debeant possessiones,& ipsos conductores bene, & fideliter congruis temporibus arare,cultiuare,& seminare: ita tamen q; cum semine sint, & esse debeant aratæ,& cultiuatę per quatuor vices, & arbores fructiferas in eis existentes ligonizare,& zappare per duas vices in quolibet laboratitio,vna vice quando seminatur bladum, siue granũ,alia vice post messes,& ante festũ Sanctæ Mariæ Augusti. Teneantur etiam prædicti Coloni arbores oliuarum stercorizare in vna salma lutaminis pro qualibet dictarum arborũ oliuarum,& in quolibet laboritio & antequam fuerint seminatę dictæ possessiones. Et si dicti Coloni in arādo modo quo supra cessauerint,ad interesse partis teneantur. Si vero in ligonizando,& stercorizando arbores oliuarũ cessauerint vt supra amittāt partes fructuũ prædictorũ eis obuenientiũ. Et liceat locatoribus pro eorum arbitrio diuidere bladum,granũ, vel similia,in agro,eo tamen messo,& nondum triturato, per gregnas: & partione facta electio sit locatoris. Vinearum vero conductores teneantur,& debeant illas bene,& diligenter colere ad vsum boni Coloni,putando, ligonizando, palando, scacchiando,ligando, occando,& alia faciendo necessaria,& opportuna: & si in occando cessauerint,habeant tantum tertiam partem fructuum: & aliæ duæ sint domini locatoris. In ceteris vero supradictis,si facere cessauerint, teneantur ad interesse partis.

ommittit alts arbŏrs fructiferas.

De Ambasciatoribus Communis eligendis,& eorum salario. Cap. 33.

STATVERVNT, & ordinauerunt, quod quotiescunq; pro necessitatibus dicti Cõmunis occurreret aliquem mitti Ambasciatorem ad aliquam Ciuitatẽ, seu Castrum a quin decim miliaribus infra,Domini Priores pro tempore possint, et valeant illos deputare,et eligere ad eorum libitum,illisq; mercedẽ cõstituere,et dare. Si autem vltra dictos fines,et terminum,aliquem Ambasciatorem mitti contigerit, cum literis maxime credentialibus dicti Cõmunis,tunc et eo casu Ambasciator eligatur,et eligi debeat in consilio generali, siue paruo in subsidium, & in eo salariũ constituatur,et deputetur,et non aliter,nec alio modo. Liceat tamen Dominis Prioribus pro tempore in occurrentiis Cõmunis mittere vbicunq; opus fuerit,Nuntios pedestres cum literis, vel sine, et eis mercedem dare,prout eis æquum videbitur. Priores vero contrafacientes in prædictis puniantur in pœna duorũ florenorũ pro quolibet,et vice qualibet, et ad restitotionem salarii contra dictã formam soluti. Ambasciator vero,siue Nuntius repetens salariũ alias sibi solutum,incidat in pœnã decẽ florenorum:et in eandẽ pœnã,si falsam ambasciatam, seu relationem fecerit.

De honore fiendo in festo Sancti Gemini. Cap. 34

IN vigilia festiuitatis Beati Gemini Confessoris,habeatur vnus torticeus cæræ pro dicto Communi de quinque libris cærę de bonis dicti Cõmunis; et bãdiatur tribus diebus ante ipsum festum, quod quilibet faciat suum luminare, et secundũ solitum,et antiquum morem.qui cæreus defero in vigilia dicti festi portetur ad ipsam Ecclesiam accensus: & post reuersionem a dicta Ecclesia de mane dictæ festiuitatis huiusmodi perueniat ad Ecclesiam Sanctę Mariæ de platea ante palatium prædicti Cõmunis: & quod omnes de dicta Terra teneantur dicto fero,in vigilia dictæ festiuitatis ad dictam Ecclesiã Sãcti Gemini ire cũ cęreo accenso in manu,secundũ qualitatem,et conditionem cuiuscunq;,ad pœnam quatuor baiocchorũ pro quolibet

ibet; ſaluo quod Dominus Locumtenens poſsit dare licentiam vni de domo, vbi ſſent plures, dummodo abſentis preſentetur cereus: & nullus cereus, vel lumen poſſit excedere ſummam vnius libræ ceræ, et non plus ad pœnam ſexdecim baiocchorum, exceptis cereis infraſcriptarum artium, qui poſsint eſſe cuiuſcunq; ponderis, prout hominibus ipſarum artium videbitur, et placebit. Teneatur etiã dictũ cereum fieri facere per caput decinas, ſi ſunt dicta luminaria, vt eſſe debẽt, et quod ipſi caput decem teneantur hoc mandare per ſingulas domos, quod quidem Dñs Locumtenẽs faciat obſeruare a quolibet de dicta Terra. Prouiſo quod infraſcripte artes, et quelibet earũ teneatur facere dupplerum cereum in dicto ſero, et portare ipſum ad dictum feſtum vna cum aliis hominibus portantibus dicta luminaria, et ſe coram Domino Locumtenente dictæ Terræ, vel ſuis Officialibus præſentare, et quod omnes de ſua arte ſequantur ſuum dupplerũ ad pœnam duorũ baiocchorũ pro vice qualibet qua fuerit contrafactum. Addiicientes quod nulla perſona per Dominũ Locumtenentem, et Officiales dicta die poſſit cogi ad ludendum in dicto feſto, nec in alio. Et quod aliquibus ioculatoribus extraneis, vel terrigenis, venientibus, & ſtantibus ad dictum feſtum, aliquid dari, vel donari non poſſit de bonis dicti Communis. Et ſi Dominus Locumtenẽs prædictis, vel aliquis officialis cõtrafecerit, in quatuor florenis vice qualibet condemnetur, & eandem pœnam ſoluat qui arengauerit in contrarium prædictorum, vel aliquid dixerit in aliquo loco. Si vero camerarius aliquid de bonis dicti Communis dicto modo daret eiſdem, vel alicui prædictorum, dicto Communi duplum reſtituere teneatur. Artes vero de quibus ſupra fit mentio ſunt infraſcriptæ. videlicet,

Ars Iudicum, & Notariorum.
Ars Medicorum, & Speciariorum.
Ars Mercatorum.
Ars Pizzicaiolorum.
Ars Calzolariorum.
Ars Sartorum.
Ars Barberiorum,
Ars Hoſpitatorum, & Tabernariorum.
Ars Vaſariorum.
Ars magiſtrorum lignaminũ, lapidũ, & fabrorũ.
Ars Macellariorum, & Tornariorum.
Ars Molendinariorum bladi, & oliuarum,

De Cæreo fiendo per Dominum Locumtenentem in feſto Sancti Gemini. Cap. 35.

DOMINVS Locumtenẽs dictæ Terræ, qui pro tempore fuerit ad honorem, & reuerentiam Beati Gemini, ſingulis ſex menſibus, in feſto Sancti Gemini de ſuo alario fieri facere teneatur vnum cereum ceræ ponderis ſex librarum, & ipſum offerre, mittere, atq; dare ad dictam Eccleſiam, ſi tale feſtum erit tempore ſui regiminis in Terra prędicta.

Explicit Liber primus de Regimine.

STATVTORVM
TERRAE SANCTI GEMINI
LIBER SECVNDVS.

CIVILIVM.

De modo procedendi in cauſis ciuilibus. Cap. 1.

CVM Iuri, & æquitati conſonum ſit, vt vnicuiq; amotis ſubterfugiis quod ſuum eſt reddatur, Statuerunt, & ordinauerunt, quod Dñs Locumtenēs dictę Terræ quolibet die iuridico teneatur, & debeat per horam integram ad minus de mane, pręmiſſo ſono campanæ paruę Palatii reſidere ad banchum iuris, ad reddendum ius, & iuſtitiam in quibuſcunq; cauſis, & quibuſcunq; petentibus, & in quolibet actu coram eo facto, pronuntiam, ſeu decretum diffinitiue, vel interlocutorie, ante diſceſſum a bancho facere, ſub pœna duorum florenorum vicequalibet, & nihilominus pronuntię, & decreta facta contra dictam formam, & extra banchum, ipſo iure ſint irrita, & nulla, & ex eis actio aliqua oriri non poſſit.

De Citationibus, & modo procedendi contra Contumaces. Cap. 2.

CITARE diuino, naturali, canonico, atq; ciuili iure, iam olim a multis ſeculis introductum eſſe cōſtat. Quapropter præſenti lege decreuerunt, & ordinauerunt q; citationes in cauſis ciuilibus fiant, & valeant quæ factę fuerint vna die pro alia, & nō aliter, & ſufficiat vna citatio perſonaliter facta de reo, in qua citatione ſi reus nō cōparuerit, & petitio nō excederet ſummā trium florenorum, contra reum contumacē procedatur ad executionē realem, & perſonalē ad electionē creditoris, & ſummarie iuxta formā ſtatutorū de cauſis ſummariis. Et ſi petitio fuerit ~~contra~~ ſupra ſummā prædictam, reus bis citetur perſonaliter, vel ad domum ſuæ ſolitę habitationis, vna die pro alia, vt ſupra, quæ citationes, & acta ſcribantur per Notarium Dñi Locumtenentis prout factæ fuerint. Et ſi in dictis citationibus reus nō comparuerit, vel aliquid reſponderit, cōtra eum contumacem executio realis, vel perſonalis ad electionē creditoris, vt ſupra relaxetur, quæ cōmiſſio executionis reo Contumaci notificari debeat per Baiulū perſonaliter, vel domi, & de dicta notificatione in actis cōſtare debeat. Et ſi poſt dictam factā intimationem reus prædictus expenſas actori nō refecerit in termino quinque dierum, & ſtaret in dicta Terra, vel eius territorio, amplius audiri nō poſſit, nec ad fatalia reponi, & durante dicto termino quinq; dierū dictus contumax per Curiā moleſtari, nec inquietari poſſit. Sed ſi reus contumax, vt ſupra a Terra prædicta, & territorio eſſet abſens, habeat terminū decem dierum modo quo ſupra ad reficiendū expenſas, & interim moleſtari non poſſit, vt ſupra. Et in omnibus ſupradictis caſibus reus cōtumax pro vna vice tātum ad refectionē expenſarum admittatur, & nō vltra. Actor vero, qui aliquē citari fecerit, & ipſe nō in termino citationis venerit hora iuris, ſoluat, & ſoluere teneatur in facto reo citato, & cōparente, pro eius intereſſe, & tēporis amiſſione baiocchos quatuor forēſes

autem

autem si quis in dicta terra cõuenire voluerint, citentur modo, & forma prædictis, si in dicta Terra domum propriam, vel conductã habuerint. si autẽ actione reali, vel rem ipsam respiciente citentur ad valuas Palatii, prout moris est, & Citationes talirer de dictis forensibus factæ valeant, & teneant ipso iure. Prouiso quod si in dictis Citationibus aliquis legitime cõparuerit, & causa non esset summaria iuxta formam statutorum, & terminum petierit ad respõdendum, cum copia petitionis sumptibus actoris, vel sine, detur terminus trium dierum currentium ad respõdendum, in quo termino si cõparuerit, & cõtenta in petitione confessus fuerit, & terminum ad soluendum petierit, detur terminus iuxta formã statutorum ad soluendũ, in quo si nõ soluerit, cõmittatur, & fiat executio realis, & personalis ad electionem actoris. Si vero negauerit cõtenta in petitione, cõtestetur lis, & iuretur de calumnia, terminusq; præfigatur vtriq; parti ad probandum incumbẽtia octo dierum, alii vero termini dentur actori, & reo arbitrio Dñi Locumtenẽtis qualitate causarum semper inspecta. Et si reus in prima, & in secunda citatione cõtumax fuerit, vel si comperuerit, & in causa succubuerit, & actor viã tenutæ elegerit, tunc citato reo per Dñm Locumtenentem ponatur in tenutã bonorũ rei pro cõcurrenti quãtitate, & expensis ex primo decreto, quã tenutã possit reus recuperare infra terminũ decem dierum, prius creditori legitime refectis expẽsis. Et si tenutã in termino supradicto non recuperauerit, tunc actor ex secundo decreto ponatur in tenutam, citato prius reo, & eidem terminus assignetur viginti dierum ad reluẽdum dictam tenutam, & si in dicto termino non comparuerit, & tenutam modo quo supra non recuperauerit, tunc bona in tenutã data subhastentur, & plus offerenti adiudicentur, et emptore reperto, citetur reus vna die pro alia ad videndum dationem in solutum, de bonis rei in tenutam datis, suo creditori. Et Dominus Locumtenens tenutã dattam ex secũdo decreto adiudicet creditori pro cõcurrenti quãtitate, & expẽsis ad ad extimationem duorum hominum de contrada bonorum, & legalium per eundem Dñm Locumtenentẽ eligendorum, & adiudicatione facta ex secundo, & vltimo decreto, modo quo supra reus vlterius non audiatur ad illam recuperandum. Addiicientes quod si executio aliqua fieret in rebus mobilibus, vel se mouentibus ad instantiã alicuius creditoris, tunc & eo casu pignora accepta pro executione, bandiantur, & subhastẽtnr per Baiulum dictę Terræ, in platea magna tribus diuersis diebus, mõ, & forma p̃dicta in capitulo statutorũ de subastationibus pignorũ.

De Feriis. Cap. 3.

FERIATOS dies ad honorem, laudem, & reuerentiam infrascriptorum Sanctorum, & festiuitatum esse decreuerunt in causis ciuilibus, quę corã Dño Locumtenente dictæ Terræ, & suis officialibus agitantur, & in quibuscunq; aliis causis coram ipsis Officialibus, vel Commissariis, seu arbitris agitandis, præterquã in causis Maleficiorum, & Criminalium, & aliis causis, quæ ipsis tẽporibus de Iure cõmuni agitari permittũtur, ac aliis infrascriptis, vt infra seriosius apparebit. Videlicet die Dominico, vigilia Natiuitatis Domini vsq; ad festũ Circunciſionis, dies Epiphaniarum, diebus festiuitatum Beatę Marię Virginis, Apostolorum, Euangelistarum, Beati Iohannis Baptistæ, Beati Gemini, festiuitatis Paschatis Resurrectionis, cum septẽ diebus præcedentibus, & septem sequentibus. Ascensionis Domini, Pentecostes, cum duobus sequẽtibus, Festiuitatum Beatorum Laurẽtii, Quirici, Nicolai, Egidii, Sancti Michaelis Archangeli, Beati Frãcisci, Festiuitatis omnium Sanctorum, cũ die

ſequenti, dies Lunę, & Martis Carniſpriuii, dies Cinerũ, & omnes alias feſtiuitates p Sanctam Romanã Eccleſiã de præcepto indictas, & ſi alię per Cõmune dictæ Terræ fuerint celebratæ, vel duxerint celebrandæ, in quibus diebus in cauſis Ciuilibus nihil agitari poſſit. Sint quoque ferię pro fructibus meſſium colligẽdis à medietate menſis lunii, vſq; ad feſtum Sanctæ Mariæ de menſe Auguſti. Pro vindemiis vero a feſto Sanctę Crucis de menſe Septẽbris, & per viginti dies ſequentes, ſalua tamen ſemper in dictis Feriis meſſium, & vindemiarum prouidentia Concilii generalis, & Dominorum Priorum dictę Terræ, ac arbitrio Illuſtriſſimorum Dominorum, niſi tamen eſſet quæſtio pro fructibus meſſiũ, labore, & mercede ipſorum, de muſto, vegetibus, penſionibus, vecturis, alimentis, & aliis ſimilibus, de quibus dicto tẽpore meſſium, & vindemiarum idem Dñs Locumtenens cognoſcere, diffinire, & terminare poſſit ſummarie, de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicii, iuris ſolẽnitatibus, & ſubſtantialibus omiſſis, prout ei videbitur conuenire, & expedire. Prouiſo quod Feriis meſſium, & vindemiarum durantibus non poſſit aliquis ad diſtrictam poni, niſi in cauſis proxime dictis, vbi poſſet aliter commode prouideri arbitrio pręfatorum Illuſtriſſimorum Dominorum.

De *Abſentia alleganda.* Cap. 4.

QVONIAM non deceret abſentem ab eius Terra, & diſtrictu cõtra Iuſtitiam aliquibus grauare negotiis, ſtatuerũt, & ordinauerunt, quod pro omni citatione abſentis a dicta Terra, & diſtrictu poſſit cõſanguineus, affinis, uel amicus cõparere in iudicio coram Domino Locumtenente, uel eius Officialibus, & abſentiã allegare, dummodo iuret de credulitate, abſentiam ueram eſſe, & quod poſt citationem nõ diſceſſerit. Quo facto Dominus Locũtenens citato ſic abſente proroget terminum ſecundum loci diſtantiã cõpetentem ad comparendum. Et ſi infra tempus datum abſens non venerit, procedat contra eum ita atq; ſi abſentia allegata non foret, & hoc etiam in cauſis maleficiorum, & Criminalium locum habeat.

De *capitibus ſolidorum, ſeu ſalario in cauſis ciuilibus ſoluendo.* Cap. 5.

VT proceſſus Ciuiles recte formentur, ſtatuerunt, & pſenti lege firmauerunt q; in cauſa Ciuili, ubi aliquid peteretur in pecunia, uel rebus tempore litis cõteſtatæ, ac tempore pręcepti fiendi, uel tempore executionis cõmittendæ, ſecundũ quod cauſa fuerit ordinaria, uel executiua, ſiue fieret perſonaliter, uel per dationẽ tenutę unũ bononenum pro quolibet ducato ab actore tãtum pro capitibus ſolidorum Camerario dictorum Illuſtriſſ. Dominorum ſoluatur, & ſcribatur in libro actorum Ciuilium illico, ut conſuetum eſt fieri temporibus retroactis. Proceſſus uero non teneant, ſi tunc capita ſolidorum non fuerint ſoluta, quæ non ſoluantur in cauſis alimentorum miſerabilium perſonarum, relictorum pro anima, & ad pias cauſas, ac etiam pro reſtitutione dotis.

De *modo procedendi in Cauſis Summariis.* Cap. 6.

STATVERVNT, & ordinanerunt quod Dominus Locumtenens pro tempore uinculo præſtiti iuramẽti teneatur, & debeat reddere, & adminiſtrare ius ſummarium

marium in infrascriptis causis,& modo quo infra. Quod in causis non excedentibus summam duorum ducatorum de carlenis, non detur,nec porrigantur aliquis libellus, imo in eis procedatur summarie de plano,ac sine strepitu, & figura iudicii,& sufficiat una citatio personaliter facta de reo; in qua si non cõparuerit, executio contra eum cõmittatur. Si autem domi citatus fuerit,iterum citetur, & summarie procedatur,ut supra.Et si cõparuerit teneatur respondere negatiue,uel affirmatiue,& facta per reum citatum responsione,per Dominum Locumtenentem procedatur similiter ad ulteriora summarie, ut supra, & prout de iure. Et in causis pauperum, & miserabilium personarum, & si dictam summam excederent dictus Dominus Locumtenens summariæ procedat, & procedere debeat, et prędicta etiam habeant locum in causis forensium.

Quod non uitietur processus ratione solennitatis omissæ. Cap. 7.

SI aliquis processus factus fuisset in Curia prædicta, & aliquis defectus non substantialis pateretur; statuerunt,& ordinauerunt quod non obstante dicto defectu ualeat,& teneat,nec opponi possint cõtra eũ prætextu dicti defectus aliquæ exceptiones,& si opponerẽtur,Dominus Locumtenens eas reiciat,& recipere minime debeat,& contenta in dicto processu exequi teneatur ad petitionẽ cuiuscũque uirtute præstiti iuramenti,& ad pœnam florenorum quinque.

De arbitrijs, & quæstionibus compromittendis. Cap. 8.

CVM aliquando inter coniunctos lites,iurgia, & quæstiones oriri contingat, ad conseruandum eorum beneuolentiam,statuerunt,& ordinauerunt, quod si aliqua lis,seu controuersia oriretur,seu oriri contigerit inter dictas coniunctas personas usque in secundum gradum affinitatis,seu consanguinitatis, secundum ius canonicum cumputandum, Dominus Locumreuens teneatur,& debeat,altera ex partibus instante lites,& controuersias,seu iurgia compromittere,seu compromitti facere in unum, seu plures coniunctos,uel amicos communes, prout partes fuerint concordes. Et arbitris,seu arbitratoribus sic electis idem Dominus Locumtenens teneatur,& ualeat sub pœnis eius arbitrio imponendis, præcipere,& mandare, ut causam,seu causas,& lites in eis compromissas finiant, & terminent infra terminũ per ipsum assignandum,& si opus fuerit dictos arbitros in palatio detinere possit. Et si contigeret aliquem ex dictis arbitris se absentare,nec possit infra paucos dies redire,idem Dominus Locumtenens cogat,& cogere debeat partẽ,si particulariter electus fuerit ad alterum eligendum,quod seruetur,& si unus tantũ arbiter ab ambabus partibus esset electus. Et si arbitri, ut supra electi concordes non fuerint in decidendo causas in eisdem compromissas: tunc per Dominum Locumtenentem tertius erigatur. Si uero esset lis,seu quęstio inter aliquos consanguineos, & affines usque in secundum gradum computandum ut supra,Dominus Locumtenens teneatur,& debeat ex officio, & ad petitionem cuiuscumque petentis, causam inter supradictos alicui consanguineo ex parte patris,si inueniretur, cõmittere,sinautẽ ex parte matris,& in defectum alicui probo uiro,idoneo,& amicabili,pastibus non suspecto,qui lites,& causas sine strepitu,& tela iudiciaria,sed sola facti ueritate inspecta,terminare,& diffinire debeat,& quod per eum fuerit iudicatum,& laudatũ, roboris firmitatẽ obtineat,& appellatio, uel reclamatio peti nõ possit, saluo recursu ad

ſu ad Illuſtríſsímos dominos. Et terminus a partibus in cõpromiſſo non appoſitus, & præfixus, intellígatur, & eſſe debeat duorum menſium, & prædícta non habeãt locum in cauſis íuſtrumentorũ, & in cauſis líquídis. Et cauſa ſemel inter prædictos compromiſſa debeat pluries compromitti, donec, & quouſque cauſa, & lis fuerit terminata, & diffinita.

De Partitis ſiendis, & Iureiurando. Cap. 9.

SI actor ſuper quacunque re, ſeu pecuniæ quantitate quam peteret in iudício deferre uoluerit reo iuſiurandum tunc reus compellatur per Dominum Locumtenentẽ, & eius officiales illud prẹſtare, ſi de facto ipſius rei proprio ageretur, quod ſi præſtare recuſauerit, in re, ſeu quantitate petita per dictum Dominum Locemtenentem actori condemnetur, & procedi poſſit ad inſtantiam creditoris contra reũ, ac ſi ſponte fuiſſet confeſſus, ſaluo quod ſi reus prædictus iuramentum actori referre uoluerit, tunc ipſe actor iurare teneatur. Addentes quod reſeruetur deferenti iuſiurandum poſt ſacramentum præfatum præſtitum, beneficium illud reprobandi ſi uoluerit, & repertus periurus pœna unius floreni mulctetur, & puniatur, & plus arbitrio Illuſtríſſimorum Dominorum. Hoc addito quod præfatum iuſiurandũ deferri minime poſſit in cauſis, & ſummis, ſeu quantitatibus excedentibus ſummam quatuor florenorum, in quibus actor, & reus per Dominum Locumtenentem & eius officiales ad dictum iuramentum acceptandum, uel referendum aſtringi nõ poſſint, ſub pœna duorum florenorum uice qualibet, & iuramentum præſtitũ contra formam prædictam ſit ipſo iure nullum.

De Tutoribus dandis Pupillis, & Curatoribus. Cap. 10.

QVONIAM minores ob defectum ætatis ſe defendere nequeunt, propterea eorum imbecillitati, & infirmitati conſulentes, præſenti lege decreuerunt, & ordinauerunt, quod Dominus Locumtenens pro tempore, teneatur, & debeat ad petitionem cuiuſcumque perſonæ dare, & decernere cuicumque minori duos tutores, & curatores affines, & conſanguineos ipſius, unum uidelicet ex parte patris, & alterum ex parte matris, legitimis, ſeu teſtamentarijs non exiſtentibus. Et Tutores, uel Curatores datiui, uel teſtamentarij, ut ſupra, poſtquam minores ad ætatem legitimam peruenerint uigintiquinque annorum, poſsint cogi ad reddendum rationẽ eorum tutelæ, uel curę infra triennium, quo elapſo ad dictam rationem reddendũ amplius ullo pacto cogi non poſſint.

De fide inſtrumentorum, & aliarum ſcripturarum priuatarum, & earum exiſtimatione. Cap. 11.

NE lites immortales fiant, & ut parcatur laboribus partium, & expenſis, pręſenti lege municipali ſtatuerunt, & ordinauerunt, quod petens aliquid certum in curia dictæ Terræ, ex quacumque cauſa legitima, & pro ipſo debito contra ipſum debitorem produxerit publicum inſtrumentum ſub quacunque forma conceptum, non abolitum, non cancellatum, nec in aliqua ſui parte uitiatum, quod inſtrumentum contineat promiſſionem, uel obligationem ipſius quantitatis, uel rei petitæ. Dominus Locumtenens teneatur, & debeat inſtrumentum prædictum executioni

tioni mandare modo, & forma infraſcriptis uidelicet. Quod ſi reus conuentus, in prima, uel in ſecunda citatione comparuerit, & debitum in inſtrumento contentũ confeſſus fuerit, eidem reo detur terminus iuxta formam ſtatutorum ad ſoluendũ. Si autem negauerit debitum petitum, uel exceptiones aliquas proponere uoluerit contra prędictum inſtrumentum, ſtatuatur terminus decem dierum ad excipiendum, & cum effectu probandum exceptiones infraſcriptas, ſi petitio non excederet ſummam decem florenorũ. Si autem dictam ſummam excederet, modo quo ſupra detur terminus quindecim dierũ, in quibus terminis ſi aliquas ex infraſctiptis exceptionibus non oppoſuerit, & cum effectu probauerit, tunc Dominus Locumtenens teneatur procedere contra talem debitorem realiter, & perſonaliter, ad electionem creditoris. Exceptiones uero proponendæ contra inſtrumẽta publica ſint infraſcriptæ, uidelicet falſitatis, ſolutionis, pacti, ſiue tranſactionis, & euidentiſſimæ nullitatis, & quæ dicta ſunt in principalibus debitoribus, etiam infideiuſſoribus obſeruẽtur. Et in prædictis Dominus Locumtenens ad electionem creditoris procedere debeat ad tenutam bonorum creditoris, uel detentionem in carceribus, ſecundum formam ſtatutorum, ſub rubrica de terminis dandis ad ſoluendum. Declarantes quod modo, & forma prædictis procedatur, & procedi debeat in apocis manu propria alicuius ſcriptis, facta tamen prius literarum recognitione, & in alijs apocis manu aliarum perſonarũ ſcriptis, & ſignatis trino teſte, computato ſcribẽte.

De Teſtibus ad perpetuam rei memoriam examinandis. Cap. 12.

TESTES ad perpetuam rei memoriam facere recipi, & examinare, & publicare ſine aliqua iuris ſolennitate cuilibet liceat, dummodo aduerſarius legitime citetur ad uidendum teſtium iuramenta, & ad dandum, ſi uoluerit, interrogatoria, & teſtes ſic recepti habeant perpetuam fidem, & firmitatem, litis conteſtatione facta, ſiue non. Hoc addito quod copia Teſtium, & atteſtationum ſic receptarum non detur alicui partium, donec & quouſque ordinarie cauſa non fuerit cœpta per dictas partes.

Quod Fideiuſſores conſeruentur indemnes. Cap. 13

NE fideiuſſores damnificentur, ſed potius ad fideiubendum liberaliter allicíantur, & animentur, præſenti lege firmauerũt quod fideiuſſores, uel quí pro alio principaliter ſe obligauit, ſi fuerit ſibi factum præceptũ de ſoluendo, licet non ſoluerit, uel quoquo modo damnificatus in perſona, uel rebus fuerit, Dñs Locumtenens teneatur, & debeat dictum principalem debitorem ad ſimplicem requiſitionem illius, quí pro eo fideiuſlit, ponere in carceribus dicti Communis, & eum tamdiu retinere, quamdiu ſteterit in releuando ſuum fideiuſſorem, tam profideiuſſione, quã pro omnibus expenſis, & intereſſe per ipſum fideiuſſorẽ paſſis, & patiẽdis. Et quod prædictus Dominus Locumtenens executioni mandare teneatur uinculo præſtiti iuramenti, & ad pœnam duorum florenorum tempore ſindicatus ſoluendorum. Et quod ſupra dictum eſt de fideiuſſoribus, habeat etiam locum inter plures reos debendi, & in ſolidum obligatos.

De Vendentibus rem alienam, uel alteri obligatam. Cap. 14.

STATVERVNT, & ordinauerunt quod ſi aliquis rẽ alienam, uel alteri obligatam

gatam,seu seruituti suppositum,uel rem suam si liberam esse dixerit, & cõtrarium reperiatur,Dominus Locumtenens teneatur ad petitionem emptoris in carcere dicti Communis uenditorem prædictum detinere,donec dictam rem sic uenditam bonam,& liberam emptoribus fecerit. Et si aliquis in prædictis,uel aliquo prædictorum fuerit inuentus mendacio repertus,possit,& debeat dictus Dominus Locumtenẽs procedere contra prædictos ad petitionem prædictorum fideiussorum,& emptorum in consignando eis bona eorum intenutam,& possessionem usque ad condignam satisfactionem sortis principalis,dannorumque,& expensarum, eosque in dicta possessione defendere,& tenere,donec satisfecerint,ut supra.Et hoc capitulũ locum habeat in præteritis,& futuris.

De forma seruanda pro mulieribus examinandis. Cap. 15.

STATVERVNT,& ordinauerunt quod nulla mulier pro testimonio reddẽdo in ciuilibus, uel criminalibus causis possit recipi, uel examinari corã Domino Locumtenente dictæ Terræ,uel eius officialibus,sine unius,uel duorũ consanguineorum,seu affinium præsentia, si extant, sin autem cum præsentia saltem unius ex dominis Prioribus dictæ Terræ. Quorum nomina affinium, & cõsanguineorũ, uel dominorum Priorum Notarius Domini Locumtenentis semper apponere debeat in examine fiendo,ad pœnam unius floreni tempore sindicatus per eum soluendi. Prouidentes quod in causis ciuilibus Dominus Locumtenens pro tempore teneatur,& debeat dictas mulieres in Ecclesia Sanctæ Marię de Palatio examinare,uel per eius Notarium examinari facere sub dicta pœna. In causis criminalibus non ualeat, nec possit eas examinare, uel examinari facere nisi in quarterio, ubi delictum est commissum,uel in domo ipsius mulieris data præsentia prædictarum personarum ad pœnam prædictam, dummodo examen intelligere non possint.

De executione sententiarum præceptorum,& arbitrorum. Cap. 16.

QVONIAM parum prodesset sententias ferri,nisi debitæ executioni mandarentur, hoc inuiolabili decreto mandauerunt,quod Dominus Locumtenens pro tempore,& sui officiales teneantur, & debeant ad petitionem cuiuscumque cuius interierit executioni mandare,& exequi facere omnes sententias diffinitiuas, & interlocutorias,quæ aliquid certi continebunr, & pręcepta,dummodo producta fuerint in forma probandi, dum tamen dictis præceptis in termino dato per Dominũ Locumtenentem tempore præcepti facti non fuerit oppositum, & probatum, & & per debitorem steterit quominus probatum fuerit. Et contra talem debitorem, & pro executioue omnium prædictorum possit procedi ad instantiam creditoris, tamquam si esset pro debito condemnatus,& in palatio etiam detineri.Ita quod de eo discedere non possit, nisi (& tunc dũmodo nõ sit suspectus)probare uellet cum effectu infra tres dies a tempore oppositionis post districtam aliquarum infrascriptarum exceptionum. Videlicet falsitatis,solutionis,nullitatis, pacti, siue transactionis. Et in prædictis casibus,& probatis dictis exceptionibus in tribus diebus prædictis, litis contestatio minime exigatur. Prouiso quod si aliquis opposuerit aliqua ex dictis exceptionibus,& eam non probauerit,uel probare non potuerit in termino supra dicto, soluat nomine pœnæ florenum unum, & nihilominus sententia

tentia executioni mandetur. Et prædicta militent, & habeant locum etiam in sententijs arbitrorum, & arbitratorum: & si in præmissis Dominus Locumtenẽs, & eius officiales negligentes fuerint, puniatur pœna duorum florenorum pro quolibet, & uice qualibet.

Quod possit a tenuta recedi, & ad executionem personaliter deueniri, & econtra. Cap. 17.

STATVERVNT, & ordinauerunt, quod contra reos contumaces, uel confessos duobus modis procedi possit: uidelicet, quod liceat creditori, qui tenutam acceperit in bonis stabilibus, uel mobilibus debitoris, recedere a dicta tenuta, & executione reali, & ad personalem executionem deuenire, & a personali recedere, & ad realem deuenire, prout sibi uidebitur, & placebit. Et hoc Dominus Locumtenens dictæ Terræ teneatur facere, & exequi ad simplicem requisitionem creditoris, nulla citatione præmissa.

De cessione bonorum, & modo cedendi. Cap. 18.

ALIQVANDO debitores pro inopia suos fallunt creditores, propter quod ut plurimum expedit eos uti beneficio cessionis. Circa igitur hęc prouidere salubriter satagentes, præsenti lege municipali decreuerunt; quod quicunque uoluerit cedere bonis, & uti beneficio cessionis, debeat bonis cedere in hunc modum, uidelicet, Quod citatis creditoribus ad uidendum cessionem, una die pro alia, compareat hora iuris ille, qui cedere intendit, in platea magna ante Ecclesiam Sancti Francisci, una cum Notario, ac tota familia Domini Locumtenẽtis, pręsentibus omnibus suis creditoribus citatis, & omnibus alijs, qui tali actu uoluerint interesse; & prope lapidem magnum in dicta platea existentem, nominatim, ac particulariter conuocatis suis creditoribus, nates denudatas in dictum lapidem ostendat, dicendo alta & intelligibili uoce, Pagati, pagati creditore. Quo facto dimittatur, & cessio aliter facta nõ ualeat, nec teneat, & talis sic cedẽs in dicta Terra habere minime possit aliquod officium, seu dignitatem infuturum, nec in publico concilio, minusque in testem recipi possit, donec ad pinguiorem fortunam deuenerit, & suis creditoribus integre, ac plene satisfecerit. Et si aliquid post cessionem prædictam cedens in bonis habere reperiretur, Dominus Locumtenens, & eius officiales teneantur ad petitionem creditorum ea bona dari facere ipsis creditoribus, sine strepitu, & figura iudicij, solum per creditorem facta fide de credito.

De terminis dandis reis confessis ad soluendum. Cap. 19.

STATVERVNT, & ordinauerunt, quod si aliquis conuictus fuerit in iudicio coram Domino Locumtenẽte dictæ Terrę, & ab eo aliquid peteretur per aliquem, & ipse in prima, uel in secunda citatione debitum sponte confessus fuerit, & debitũ esset trium florenorum, & ab inde infra, petenti assignetur terminus octo dierum ad soluendũ, & ab inde supra terminus statuatur quindecim dierum; in quibus terminis si reus non satisfecerit, contra eum procedatur, & exequi debeat realiter, uel personaliter, secundum formam statutorum ad petitionem creditorum. Et prædicta locum non habeant in causis mercedum, alimentorum, & miserabilium perso-

narum: in quibus termini ad soluẽdum non possint dari, nec cõcedi ultra tres dies. Et si aliter fieret, Dominus Locumtenens, & officiales contrafaciẽtes puniantur pœna duorum florenorum pro quolibet, & uice qualibet. Declarantes quod si aliquis debitor steterit ad districtam instantiam creditoris per tres dies, & creditorem nõ concordauerit, tunc Dominus Locumtenens instante creditore debeat debitorem carcerare in turrim, & inde non relaxare donec satisfecerit creditori suo.

De debitore suspecto cogendo. Cap. 20.

ITEM statuerunt, & ordinauerunt, quod quicunque creditor principalis persona, uel fideiussor alicuius comparuerit coram Domino Locumtenente dictę Terrę, & dixerit se suspicionem habere de aliquo debitore, uel eo pro quo fideiussit; dubitando ne recedat, uel aufugiat, & non sit soluendo; & bona stabilia in dicta terra, & eius territorio pro concurrenti quantitate debiti non habuerit: & paratus sit iurare, & cum effectu iurauerit illum habere suspectum: teneatur, & debeat idem Dominus Locumtenens dictum sic iuratum suspectum capi facere, & retinere in carceribus, donec integre creditori suo de debito satisfecerit, etiam cum refectione expensarum, & interesse, uel idoneam cautionem pręstauerit de stando iuri, & iudicatum soluendo, solutis prius capitibus solidi Camerario Illustrissimorum Dominorum. Et si dictus creditor non probauerit dictum reum esse suum debitorem, puniatur in pœna debiti petiti, de facto, auferenda sine prolatione alicuius sententię: cuius medietas sit Cameræ dictorum Illustrissimorum Dominorum, alia uero dicti rei capti.

Quod filius familias non possit se obligare sine consensu patris. Cap. 21.

OBLIGATIONES, & promissiones, quę fierent per aliquem filium familias, pręcipue alienationum, uenditionum, uel alterius cuiuscumque promissionis, uel obligationis, non ualeant, nec teneant sine præsentia, & consensu sui patris, sed fictitiæ, & simulatæ pręsumantur: saluo quod ipse filius familias non fuerit a suo patre emãcipatus, uel seorsum ab eo habitauerit, & negotia domus suę exerceret, uel etiam aliquam artem, siue mercantiam faceret, in quibus casibus uti pater familias obligetur, & se obligare possit.

De forma seruanda in alienationibus, & contractibus minorum, & mulierum. Cap. 22.

VT minorum, & mulierum facilitati modis omnibus conuenientibus, & expedientibus succurratur, ne in eorum contractibus, & negotijs de facili decipiantur, & lędantur: Statuerunt, & præsenti lege firmauerunt, quod donationes, uenditiones, remissiones, cessiones, & quietationes quarumcumque rerum, actionũ, uel iurium, sub quacunque forma contractuum, instrumentorum, uel uerborum a puberibus, pupillis, minoribus, seu adultis, & mulieribus, factorũ, & celebratorum, sine iuramento corporaliter præstito, & etiam absque consensu duorum suorum proximorum, unius uidelicet ex parte patris, & alterius ex parte matris si existant, uel saltem affinium si consanguinei non existant, & sine decreto, & auctoritate Domini Locumtenentis dictæ Terræ, cum quibuscumque personis specialibus, uniuersitatibus, uel alijs quibuscunque fieri non ualeant, nec aliqualiter celebrari. Addijcientes

cientes, quod prædicta non uendicent, nec habeant locum in procurationibus, & locationibus non ad longum tempus, minorum, & mulierum. Et si dicti consanguinei, & affines non adessent, uel haberi non possent, in eorum defectum adhiberi debeant duo ex dominis Prioribus dictę Terrę. Et si contra formam prædictam instrumentum aliquod celebratum, uel conditum fuerit, non seruatis dictis solennitatibus, præsumatur fictitium, & dolose extortum, & nullam obtineat roboris firmitatem. Et nihilominus contrahens Iudicis arbitrio puniatur.

De interdictione administrationis. Cap. 23.

VT uia omnino tollatur fraudibus, & prodigis, & male gubernantibus res suas saluberrime succurratur: præsenti lege statutaria decreuerũt, & ordinauerũt, quod D. Locumt. dictæ Terræ ad petitionem duorum consanguineorum, siue coniunctorum usque in tertium gradum, teneatur, & debeat administrationem bonorum interdicere unicuique pro quo peteretur: dũmodo fides fiat de mala administratione, & progalitate ipsius, & quod male usus fuerit substantia sua, & postmodum fiat de tali interdictione publicum instrumentum. Et post interdictionem si quid fecerit ille cui facta fuerit, sit ipso iure nullum, & nullius efficaciæ, uel momenti: & nihilominus ille talis non possit habere aliquod beneficium, uel officium in cõmuni dictę Terræ & contrahentes scienter cum supradictis, in tantum quantum est quantitas, uel ualor rei in contractu deductæ: si ignoranter mitius arbitrio iudicis puniatur.

De restitutione dotis. Cap. 24.

STATVERVNT, & ordinauerunt quod matrimonium aliquod mortæ mulieris traductę ad domum uiri dissolui contigerit, filijs, uel filiabus non remanentibus ex eisdem; tunc duæ partes dotis datæ, uel promissæ pro ipsa muliere restituantur, & restitui debeant dotantibus, siue eorum hominibus, & successoribus: & alia tertia pars dictæ dotis remaneat, & remanere debeat penes ipsum uirum, quam lucretur. Et restitutio prædicta fieri debeat eisdem modo, & forma, pactis, conditionibus, & temporibus prout dos data, uel promissa fuerit, quod tam præterita, quã præsentia, & futura cõprehendat. Et si casus euenerit constante matrimonio, quod maritus male substantia sua utatur, & ad inopiam uergat: tunc D. Locumtenens ad petitionem mulieris, uel alterius eius nomine, teneatur & debeat uinculo iuramenti, dotem dictę mulieris ponere in tuto: uel ipsam in possessionem bonorum uiri, si bi quomodolibet obligatorũ, & alienatorum immittere: ad hoc ut ex dictis bonis ipsa mulier se alere possit: sine tamen solutione capitum solidorum, ut supra, & iuris solennitatibus: dummodo in alienationibus prædictis ipsa mulier debito modo, & seruatis solennitatibus statutorum, consensum non præstiterit.

Quod mulier dotata, uel dotanda non succedat. Cap. 25.

AD dirimendum quæstiones, & litigia, quæ inter filios masculos, & fœminas, & descendentes ab eisdem oriri possent super hæreditatibus, & bonis decedentiũ ab intestato, uolentesque in præmissis prouidere: & ad hoc ut bona conseruentur in familia, & cippo domus, pro pace, & concordia dictæ Terrę, Statuerunt, & ordi-

uerunt,quod nulla mulier dotata,uel in futurum dotanda, uel maritata, uel maritanda,a patre suo,auo,auia,matre,fratre,uel alio ulteriori,cui de iure communi hę reditas ascendẽtium ab intestato deferreretur,habens fratrem carnalem, uel nepotem carnalem,natum,seu natos ex masculo fratre carnali,uel fratribus carnalibus, seu ulterioribus ex linea masculina,non possit in hæreditate talium ascendentium ab intestato decedentium succedere,existentibus filijs,nepotibus, uel alijs ulterioribus descendentibus masculis de cippo domus:sed tantum sufficiat mulierẽ prædictam,seu mulieres,si plures sint,fuisse dotatas ab uno præfatorum quicũq; sit, vt præsens statutum suum sortiatur effectum. Et si dos tamẽ fuerit promissa ab eisdẽ, uel vno ipsorum,qua dote contentę esse,& tacitę stare debeant,dummodo sit congrua,inspecto more regionis,qualitate personarum,& facultate dotantis: & nihil ulterius poscere possit pro legitima,seu eius supplemento,excepto quod de bonis maternis,quando mater non dotaret de suo,possint habere pro legitima, & omni earum iure in dictis bonis maternis florenos duos pro qualibet quantę sint, & nõ amplius.Et si intestamento dos eis relinquatur ab aliquo ex ascendentibus, cui dotandi onus incumbit,similiter contentarĩ debeant, nec ultra relictum aliquid consequi possint pro legitima,seu eius supplemento,& si non iure restitutionis relictũ fuerit. Si uero frater,qui successit,ut supra exclusis, fœminis, decederet solum relictis filiabus ex fratre,seu nepotibus masculis de cippo domus, & casata, ac sorore tali,uel eius filijs,tunc in eius hæreditate ab intestato,succedant frater,uel eius filij masculi,seu ulteriores masculi de eius casata,exclusa penitus dicta sorore defuncti, & eius filijs, dummodo filiæ defuncti prædicti congrue,& honeste dotentur, ut superius dictum fuit.Quod si frater,uel eius filij seu ulteriores tales nõ supererunt, sed tantum soror,uel eius filij,& filiæ fœminæ defuncti, tunc & eo casu soror prædicta,uel eius filij admittantur in habitis per dictum defunctum a patre, una cum dictis filiabus collata dotæ prout de iure communi poterunt admitti. In acquisitis autem a patre dictæ filiæ defuncti succedant in totum,exclusa penitus sorore prædicta,& eius filijs.Si autem aliquis ex dictis fratribus,uel alijs,ut supra decederet ab intestato,sine filijs masculis,uel fœminis,superstitibus alijs fratribus,uel eorum filijs masculis, seu ulterioribus descendentibus ab eisdem per lineam masculinam semper,ita tamen quod coniuncti ab utroq; latere sint potiores coniunctis ab uno latere tantum,tunc ipsi fratres superstitis,ipsorum filij, uel ulteriores, ut supra ad hæreditatem præfatorum fratrum patruorumq; respectiue sic prædecedentium admittantur in stirpes,& non in capita,exclusis penitus fœminis prędictis.Et idem seruetur si aliqua ex fœminis dotatis, & exclusis decederet sine filiis masculis uel fœminis ab intestato:in cuius dote præfati masculi succedãt, ut proxime dictũ est, exclusis alij fœminis,sororibus,uel earum filiis,seu ulterioribus, salua semper remanente portione uiro pro lucro dotis,ut in statuto de materia loquente. Hoc intellecto,quod filiæ fœminæ prædictæ numquam excludantur a successione propter existentiam filiorum bastardorum,etiam per Principis rescriptum legitimatorum, qui nullibi in causis supradictis,uel eorum aliquo habeantur pro masculis,ut possint gaudere priuilegio prędictis statuti. Declarantes quod filiæ fœminæ supradictæ,quæ remanserint uiduę,ualeant,& possint redire ad domum earum patris,& ibidem honeste morari, reportata tamen ipsarum dote: & prædicta obseruari debeant tam in præteritis pendentibus, quam præsentibus,& futuris,

De officio

De officio Notariorum, & eorum mercede. Cap. 26.

QVONIAM non ſolum ad Tabellionum periculum per contractus, & inſtrumenta in libris originalibus non deſcripta redundare dignoſcitur: verum etiam in contrahentium detrimentum, & iacturā non modicam, Cupientes itaque in præmiſsis debitam adhibere medelam, Statuerunt, & ordinauerunt quod quilibet Notarius de dicta Terra, teneatur, & debeat ad petitionem cuiuſcunque petentis, ſcribere, & ſe rogare, debita cum mercede, de quolibet inſtrumento cuiuſcunque generis liciti, ſeu teſtamento, & vltimis voluntatibus cuiuſcunque generis, illoſque, & illa in termino quindecim dierum ponere, & regiſtrare in forma debita in ſuis protocollis ordinatis, & non in cartulis, ſeu ſcartafaciis, & faſciculis, ad pœnam decem florenorum pro quolibet inſtrumento, & vice qualibet. Et inſtrumenta reperta non deſcripta in protocollis poſt dictum tēpus, vt ſupra, fictiſia, & nulla cenſeantur, & roboris firmitatē nō obtineant: & Notarius ad pœnam prædictā teneatur, & ad partis intereſſe, ad quod intereſſe etiam eorum hęredes teneantur: & prædicta locum habeant in Notariis ad præſens viuentibus, & in futurum naſciturīs, & creandis. Et ſi a Notario aliquo, qui inſtrumentum confecerit, petitum fuerit per illum, cuius intereſt, vt illud ſibi in publicā, & autenticam formā extraheret, & ſibi daret, teneatur, & debeat idem Notarius, ſoluta ſibi competenti mercede, in termino octo dierum poſt petitionem, illud extrahere, publicare, & petenti dare, ſub pœna prædicta. Si autē Notarius diceret ſe non rogatum de aliquo inſtrumento a ſe petito, & poſtea inter ſua protocolla, quæ ad effectum ſupradictum exhibere teneatur, reperiretur illud inſtrumentum pœnā prædictam ſoluere teneatur. Prouiſo quod contrahentes, & ille vel illi quorum intereſt, teneantur, & debeant in termino octo dierum poſt requiſitionem ſupradictam, illud a quocunque Notario in publicam formam recolligere, & competentem mercedem ei dare, ſub pœna vnius floreni: termino que ſupradicto elapſo, liceat Notariis abſque aliqua alia requiſitione, inſtrumenta ſic publicata, & extracta, parti etiam nolenti offerre, & dare, & pro eorum mercede habeant executionem paratam. Declarantes quod in quibuſlibet inſtrumentis ſufficiant duo teſtes, ſine Notario rogato, exceptis teſtamentis, & vltimis voluntatibus, in quibus ſeruetur ius cōmune. Et Notarii rogati habeant pro eorum mercede pro quolibet rogitu inſtrumentorū baiocchos quatuor, & tantundem pro oſtenſione extraiudiciali: pro rogitu vero teſtamentorum, & aliarum vltimarū voluntatū baiocchos quinque: li cū regiſtratione ſoluatur id quod ſolui debet in extractione in publicam formam. Pro copia vero cuiuſlibet inſtrumenti in publicam formam, in ſe continentis ſummam centum ducatorum de carlenis incluſiue, ſoluantur carleni quinque: a centum ducatis infra baiocchos vigintiquinque: a centum veroducatis ſupra pro rata. Item pro caſſatura a centum ducatis infra baiocchos vigintí: a centum ducatis ſupra baiocchos vigintiquinque pro quolibet centenario.

Quod Procuratores, & Notarii non poſſint exercere procuram, niſi in certa ſumma, & de mercede eis debenda. Cap. 27.

STATVERVNT, & ordinauerunt, quod Notarii, & Procuratores non poſſint procurare ad inſtantiam alicuius, nec actus quoſlibet in iudicio dictare in cauſis ciuilibus non aſcendētibus ad ſummam, & quantitatem vigintí ducatorum de

carlenis, & ab inde infra sub pœna vnius floreni pro qualibet vice, & pro quolibet actu, & eandem pœnam soluere compellatur producens aliquam scripturā, siue actum in scriptis manu aduocati, seu notarii, vel procuratoris, vel manu cuiuscunque alterius personę, in causis non ascendentibus ad summam prædictā viginti ducatorum. Et in prædictis D. Locumtenens pro tempore non possit alicui licentiam dare, vel impartiri, sub dicta pœna. Et contrafacientes pœnam prædictā soluere teneantur, dicta licentia non obstante. Liceat tamen aduocare, patrocinari, & procurare in omnibus litibus minorum, mulierū, ad pias causas, dotium, & vbi esset lis inter peritū, & imperitum: in quibus causis liceat ambabus partibus aduocatū, & procuratorem constituere, etiam quod de minima summa ageretur, cum salario secundum formam capitulorum Illustriss. Addijcientes præsenti capitulo, quod Notarii, & Procuratores dictæ Terræ habeant, & habere debeant pro dictatura cuiuscunque actus baiocchos quatuor; in causis scilicet, in quibus non dantur exceptiones, & replicationes hinc inde, sed causa expeditur per partis confessionē, & dationem termini ad soluendum, vel per productionem instrumenti, vel per contumatiam, & finaliter quando causa non ventilatur in contradictorio; sed si causa in cōtradictorio ventilaretur, tunc & eo casu dicti Notarii, & Procuratores habeant, & habere debeant pro mercede, & patrocinio ipsorum baiocchos duos pro quolibet ducato.

De simulatis contractibus. Cap. 28.

CVM iure testante plus valeat quod in veritate agitur, quam quod simulate concipitur; ad tollendas fraudes, & malitias peruersorum contractus non veros, simulatos, & fictitios celebrantiū; præsenti lege statutaria decreuerunt: quod nulla persona tales cōtractus simulatos, fictitios, vel dolosos inire, vel facere audeat, seu præsumat, nullusq; ex ipsis cōtractibus, promissionibus, obligationibus, seu conuentionbus quibuscunq;, tanquam a iure reprobatis, possit agere, vel aliqualiter experiri: nec ex ipsis emolumentum, vel damnum aliquod personis, vel rebus sequi possit: & si quid ex prædictis contractibus per aliquos, vel per aliquem perceptum fuerit, vel obtentum, ad ipsos contractus rescindendos, cum perceptorum, & retentorum restitutione, taliter contrahentes, summarie de causa cognito, & sine iudicii strepitu compellantur, vna cum damnis, expensis, & interesse per partē passis: de quibus esset, eius iuramento concurrente, aliqua coniectura iudicis arbitrio. de quibus simulationibus, fictionibus, & fraudibus, & quomodolibet prædictorum per euidentia, & verisimilia indicia, quæ animum iudicantis mouent, cognoscatur, & sententietur, consideratis personarū, locorū, tēporum, & causarū, conditionibus: qualitatibus, & verisimilibus coniecturis. Præsumātur etiam fictitiæ, & simulatę venditiones factæ de bonis quibuscunq;, quæ post venditionē possidentur a venditoribus per tres annos ad plus pacifice, & quiete: & emptor in sua libra accatasta ri non fecerit, vel de eis datiuas, & collectas non soluerit, fructus nō perceperit: & taliter contrahentes pœna decem florenorum pro quolibet puniatur: & eadē pœna puniatur Notarius, qui de tali instrumēto fuerit rogatus, & ppetuo sint infames.

De *probatione relictorum in testamento.* Cap. 29.

CVM aliquando per testamēti amissionem, quis de legatis sibi factis satisfieri nequit

nequit, ideo præsenti lege statuerunt, quod liceat vnicuiq; de dicta Terra, si amissum, vel aliqua alia iusta causa testamentum in quo legatum sibi factum fuerit habere non posset, tunc & eo casu liceat legatario, siue legatariis, relictum eis factum probare per duos testes fide dignos, qui interfuerint cõfectioni ipsius testamenti, vel codicillorum, & aliarum vltimarum voluntatum, & quidquid per dictos testes fuerit legitime probatum, valeat, & teneat ipso iure, ac si per testatorem proprium probatum esset. Et hoc habeat locum, si quantitas quæ peteretur, summam duorũ florenorum non excederet.

De successionibus ab intestato, & matris exclusione. Cap. 30.

CVM humana fragilitas mortis præcipue cogitatione turbata, & inopinatis iafirmitatũ casibus frequenter morte preuenta, de bonis suis ad libitum disponere non valeat, ob quæ lites, & scandala oriri sæpe contingit: Volentes igitur in præmissis salubriter prouidere, hac lege statutaria decreuerunt, vt si quemcunq; filiũ contingat in posterum decedere inhabilẽ ad testandum, vel habilem, & intestatũ sine filiis: & huius patrui, patruę, sorores, fratres, nepotes, seu ipsorum, vel ipsarum alterum, seu nepotes ex legitima prole, & paterna stirpe per virilem sexum descendentes super sint, seu ascendẽtes vsque ad quartũ gradũ, nõ obstãte quod supsit ẽt matre huius decedentis, vel mortui: & per ipsos defunctos, seu prædecessores ipsorũ ad quos spectabat prouisio nequierit prouideri, vel si potuerint minus forte memoria extitit prouisum: ipsi descendentes, vel ascendentes directi, seu collaterales in gradu proximiori, seu propinquiori, per alia statuta non exclusis succedãt vsq; ad gradum prædictum, iuxta gradus prærogatiuam eorundem, equaliter in stirpes, & non in capita, matre talium defunctorum penitus exclusa ab omni successione quæ de iure communi, per Tertulianum, seu Aut: de fundo cũ aliis ibi positis, & quascunq; alias leges, vel occasione alicuius quartæ Falcidie, seu Trebellianicę, vel debitæ iure naturæ, vel cuiuscunque alterius quartæ eidem matri de iure canonico, vel ciuili, seu Autenticarum, vel quocunq; alio iure, seu consuetudine obuenire posset. Excepto quod intra defuncti fratres, & eorũ filios, habeat vsumfructũ in vita sua, quod tamen amittat per transitum ad secunda vota: & prædicta extendantur ad præterita pendentia, & comprehendant præsentia, & futura.

Quod Notarij, & alij de Terra sancti Gemini non possint exercere aliquod officium in Curia Domini Locumtenentis. Cap. 31.

STATVERVNT, & ordinauerunt, quod nullus Notarius de Terra prędicta, vel habitator in ea possit, nec debeat exercere officium notariatus ad bancum iuris eiusdẽ Terræ sub pœna vnius florení pro quolibet, & qualibet vice: & similiter nullus de dicta Terra, vel habitator in ea possit, nec debeat exercere officium damnorum datorum, nec extraordinariornm sub dicta pœna pro quolibet, & pro qualibet vice: & nihilhominus acta, inuentiones, & accusę factę respectiue, non valeãt, nec teneant, & sint ipso iure nullæ liceat tamen DD. Prioribus pro tempore facere Custodes, & Vallarios, prout hactenus consuetum est fieri.

Quod D. Locumtenẽs, & Officiales nõ recipiant executionẽ, nisi concordato principali. Cap. 32.

ITEM statuerunt, & ordinauerũt, quod D. Locumtenẽs, & alii Officiales dictæ Terræ

Terræ in omnibus cauſis ciuilibus nō poſsint, nec valeāt vllo pacto petere, nec exi gere executionem, ſiue mercedem aliquam pro executionibus faciendis ab aliqua partium, niſi poſt factam executionem, videlicet poſt captionem pignorum, ſi rea liter exequi cōtingat, vel poſt tenutam datam in bonis ſtabilibus, vel concordato principali, ſi perſonaliter executum fuerit: & ſi contrafecerint teneantur reſtituere dictam executionem acceptam, & incidant in pœnam duorum florenorū pro quo libet, & vice qualibet: & in hoc ſtetur, & credatur dicto ſoluētis, cum vno teſte fide digno, & non poſſit aliquo quæſito colore habere niſi vnicā executionem tantū.

De præſcriptione. Cap. 33.

CVM nonnulli vitio ducti, tam per mutuationem, quam etiam per depoſitum eorum pecunias per tempus differant repetere: cupientes propterea in præmiſſis adhibere medelam; Statuerunt, & ordinauerunt, quod quicunque de dicta Terra, vel degens in ea mutauerit, vel depoſuerit aliquam pecunię quantitatem alicui, ſeu penes aliquem, & ipſe creditor tacuerit per decem annos cōtinuos petere pecuniā ſibi debitam debitoribus ſuis, cenſeatur ſatisfactus, ita quod ab eis auctoritate prę ſentis ſtatuti amplius petere nō poſſit. Et actio quæ ex inſtrumētis, vel cōtractibus competebat, ſit inefficax ad agendum. Et talibus inſtrumentis ſpacio decem annorum præſcribatur. Si vero contractus eſſet ratione mercantiæ pannorū, vel ſimiliū, & creditor per ſex annos ſuperſederit petere, ab inde in poſtea amplius petere nō poſſit, & actio inefficax ſit ad agendū: & hoc locū habeat inter p̄ſentes tātum, in abſentibus autē, & hæredibus cōtrahentium locū habeat ius cōe. Et p̄dicta locū ēt habeāt in omnibus alijs obligationibus, & debitis, in quibus nō interuenerint pacta ex quacunq; cauſa (dotibus dumtaxat exceptis) niſi ex aliqua legitima cauſa in ſpatijs prædictis non fuerit petitum. In cauſis vero mercedū ex quacunque cauſa ſummam vnius ducati non excedentibus ſpatio ſex menſium, modo vt ſupra pręſcribatur ab inde vero ſupra ſpacio vnius anni. Addentes, quod creditores cōmunis ex quacunque cauſa, dummodo inſtrumenta non adſint, & bullectas ſibi fieri non curauerint infra ſex menſes numerandos a die qua eis actio competebat, vel ſi bullectas habuerunt, & infra annum illas non exegerint, dicti creditores cadant ab omni actione, & iure; & dictæ bullectę ſint, & eſſe debeant pręſcriptę, nec quocunque modo exigi poſſint.

De ſubhaſtationibus pignorum. Cap. 34.

STATVERVNT, & ordinauerunt, quod omnia pignora pro excutionibus accepta ad inſtantiam quorumcunq; creditorum, debeant ſubhaſtari, & vendi modo & forma infraſcriptis, videlicet quod per Baiulum dicti Cōmunis in platea magna, tribus diuerſis diebus, publice bandiātur, & ſubhaſtentur, & in vltimo bandimento plus offerenti dentur, & adiudicentur, de quibus omnibus per eundem Baiulum fiat relatio in actis Curiæ, & facta dicta relatione D. Locumtenens adiudicet pignora, & terminum ſtatuat debitori ad reluendum decem dierum cum intimatione, & termino prædicto elapſo debitor ad reluendū amplius non admittat.

In quibus rebus executio fieri non poſſit. Cap. 35.

CVM contingat aliquando Officiales, & Baiulos in exequendo formam, & modum

dum excedere: decreuerunt, ꝙ executiones in cauſis ciuilibus fiãt, & fieri valeãt in omnibus rebus, de ordine, & mãdato D. Locumt. preterq̃ in lectis, ſiue cubilibus, & eorũ fornimẽtis neceſſarijs, pãnis, & ornamẽtis mulierũ, nec in bobus, & inſtrumẽtis ad vsũ arãdi pertinẽtibus; in quibus executio nullatenus fieri poſſit, ſi alia bona mobilia reperiãtur, & ſi dicti officiales, & Baiuli cõtrafecerint, puniantur, in pœna vnius floreni pro quolibet, & vice qualibet; & pignora illico reſtituere teneantur.

Quod nulla mulier habens hæreditatem, poſſit nubere extra Terrã S. Gemini. Cap. 36.

AD hoc vt bona, & facultates conſeruentur, & remaneant in Terra S. Gemini, decreuerunt, & ordinauerunt, quod nulla mulier de dicta Terra, quæ haberet aliquã notabilem hæreditatem, poſſit: nec valeat extra dictã Terram, vel in forenſem aliquẽ ſe nubere, & matrimonio copulare: & ſi cõtra formã p̃ſentis ſtatuti, ſe nupſerit cẽſeatur, & ſit nupta cõgrua dote, ſecundũ qualitatẽ perſonæ, ac patrimonii quantitatem, & in cæteris bonis ſuis ſuccedant proximiores de familia, prout de iure.

De appellationibus in cauſis ciuilibus, & criminalibus, & de literis Recurſus. Cap. 37.

STATVERVNT, & ordinauerunt, hac præſenti lege municipali perpetuo valitura, quod quilibet appellans ab aliquo grauamine, interlocutoria, vel pręcepto ante ſentẽtiæ tẽpus, vel poſt, & quocũque alio actu, pręterquã a mera diffinitiua ſñtia, in iudicio, vel extra in criminali cã, vel ciuili a quocũq; officiale dictæ Terrę, vel arbitris, & arbitratoribus, & de nullitate agẽs, vel petẽs reductionẽ ad arbitriũ boni viri, aut reſtitutionẽ in integrã corã Illuſtriſs. Dñis dictę Terræ, infra decẽ dies a die interpoſitæ appellationis, vel factæ cõtradictionis, aut petitæ reductionis ad arbitriũ boni viri, vel reſtitutionis i integrũ cõputandos, appellationẽ, & cãm ipsã p̃ſequi teneat', faciẽdo citari partẽ appellatã, qui in termino citationis debeat cõparere, & infra dictũ terminũ ipſe appellãs, ſeu de nullitate agẽs ſe debeat corã prędictis Illuſtriſs. vel iudice ad quẽ ſe p̃ſentare. In cauſis vero appellationũ, prouocationũ, ſeu nullitatũ, aut reductionis ad boni viri arbitriũ, & reſtitutionis in integrũ a diffinitiua ſñtia, debeat appellari infra decẽ dies cõtinuos a die prolationis ſñtiæ, vel illati grauaminis; & causã ipsã infra alios vigiti dies cõtinuos a die appellatiõis interpoſitæ continue cõputandos, appellationẽ ipsã appellãs p̃ſequi teneat'; faciẽdo citari aduerſariũ, ſeu partẽ; & ſe in dicto appellatiõis termino p̃ſentãdo vtſ. Et ſi cõtingeret aliquẽ de dicta Terra, vel in ea degentẽ ex quauis cauſa ciuili, vel criminali, in iudicio, vel extra: recurſum ad dictos Illuſtriſs. Dños petere teneat', & debeat D. Locumtenẽs dictum recurſum cõcedere, & eidẽ, vel alteri pro eo, ſi petẽs veniret pſonaliter detinendus, literas Illuſtriſs. Dñis directas cõtinẽtes causã, & cauſas grauaminis, & petiti recurſus concedere, & dare, abſq; aliquo p̃cio, vel mercede: & teneatur ẽt recurrẽtibus literas ante ſigillationẽ oſtẽdere, niſi crimẽ adhuc eſſet occultum in criminalibus, ne partes duplici recurſu indebite fatigẽtur. Declarãtes quod appellationis, & recurſus terminis pendetibus, nihil innouari poſſit ſub pœnis iuris, & aliis arbitrio Illuſtriſsimorum moderañ. Quibus terminis, vt ſupra conceſſis ad appellandũ, vel proſequendũ datis, elapſis, appellationis, ſeu appellationũ cauſę ſint, & eſſe debeãt ipſo iure deſertę, abſq; aliqua iudicis ſentẽtia, & declaratione. Et iudex a quo, debeat ſententiã latã executiõi mãdare, ac ſi ab ea nõ fuiſſet appellatum.

Explicit liber ſecundus Statutorum Ciuilium.

STATVTORVM

TERRAE SANCTI GEMINI.

LIBER TERTIVS.

MALEFICIORVM.

De Citationibus, & modo procedendi in cauſis Criminalibus. Cap. 1.

NE delicta remaneãt impunita, & ut materia delinquẽdi tollatur; preſenti lege ſtatuerunt, & ordinauerunt, quod D. Locumtenens dictæ Terrę, & eius officiales poſſint procedere, cognoſcere, ꝓceſſus initiare, mediare, & finire, & ſententias ferre ſuper quocunq; crimine, maleficio, vel delicto di ebus ſolemnibus, feriatis, & non feriatis, per inquiſitionem, denunciationem, & accuſationem: & de his, & quolibet eorum ſententias ferre, & procedere, prout eis videbitur, & placebit: & proceſſus valeant, & teneant ipſo iure, nec poſſint impugnari, vel frangi, etiã ſi in aliquo ordo iuris, vel ſolemnitas, ſeu ſubtiliz tas omiſſa fuiſſet, dummodo de maleficio iuridice cõſtet. Et ne defenſio reis inquiſitis tollatur, & ne quiſpiam innoxius condemnetur, decreuerunt quod ſtatim formata inquiſitione, accuſatione, uel denuntia contra aliquem in Curia D. Locumtenentis, prefati ipſi rei iuquiſiti, accuſati, vel denuntiati debeant citari perſonaliter, vel domi per Baiulum communis dictæ Terræ, cum dimiſſione cedulæ continẽtis totum tenorem, & ſubſtantiam inquiſitionis, denuntiæ, & accuſæ contra eum, vel eos formatæ, quod in termino duorum dierũ cõparere debeant ad ſe excuſandũ, & defendendũ ab inquiſitione, denũtia, vel accuſa cõtra eos formata; & ſi in dicto termino nõ cõparuerint, iterũ citentur per dictũ Baiulũ cũ cedula, ſine tamen tenore inquiſitionis, & cum termino aliorum duorum dierum ad ſe ipſos excuſandum, & exculpandum: & ſi in dictis terminis comparuerint, eorum reſponſio, & excuſatio recipiatur, & admittatur, præſtita tamen prius fideiuſſione per reos de ſtando iuri, & iudicatum ſoluendo in caſu in quo venirent audiendi extra carceres. Et ſi in prima, vel in ſecunda citatione non cõparuerint ad ſe excuſandum, vt ſupra, ponãtur in banno per dictũ Baiulũ in capite ſcalarũ Palatii in illa quantitate, in qua ex forma ſtatutorum dictæ Terræ venirent condemnandi; & in dicto banno aſſignetur terminus quinq; dierũ ad faciendũ oẽs eorũ defenſiones: quo termino elapſo citẽtur in forma ad ſententiã, & ad videndũ ſe condemnare: & tunc per D. Locumt. ad ſententiã deueniri debeat, & ſucceſſiue ad executionẽ in bonis, & rebus condemnati, vel in perſonam, prout ſibi magis expediens eſſe videbitur. Et dicti rei inquiſiti, & contumaces habeantur pro confeſſis, & conuictis, ac ſi ſponte maleficiũ de quo procederetur confeſſi fuiſſent. Si vero dicti rei inquiſiti cõparuerint, & delictũ contra eos intentatum ſponte confeſſi fuerint, detur eiſdem terminus quinq; dierũ ad faciendũ oẽs eorũ defenſiones; ſi autem negauerint, detur terminus Fiſco, vel accuſatoribus octo dierũ ad probandũ: & ſi non probauerint (reis ſic accuſatis & inquiſitis inſtantibus) teneatur D. Locumt. ſententiã abſolutoriã ferre, condemnando accuſatores, & denuntiatores in expenſis. Si autẽ probatum fuerit de

lictum, vel adeſſent indicia ſufficientia ad torturã, de iure infligendã detur termi-
nus reo, vt ſupra, quo elapſo procedatur ad expeditionem cauſę. Forenſes vero in
quiſiti, vel accuſati, vt ſupra, ſemper citentur modo prædicto, cum affixione cedu
larum in capite ſcalarũ palatii dictæ Terræ, & contra eos procedatur pro vt ſupe-
rius eſt expreſſum. Addicientes quod ſi aliquod malificiũ cõmiti cõtigerit per mu
lieres, D. Locumt. & ſui officiales non poſſint per inquiſitionẽ ꝓcedere de aliquo
maleficio vel delicto, niſi primo recipiantur duo teſtes ad minus, qui probent legi
time maleficiũ, vel delictũ per eas cõmiſſum; & detur copia teſtiũ receptorũ ante
reſponſionẽ fiendã per eas; & aliter contra mulieres, per inquiſitionẽ procedi nõ
poſſit, exceptis caſibus, & delictis grauibus, in quibus procedere poſſint ordina-
rie, pro ut ſupra expreſſum extitit. Prouiſo quod affines, & conſanguinei inquiſi
torũ, vt ſupra poſſint & valeant pro eis in iudicio cõparere ad allegandũ abſcen-
tiam iuxta formam Capituli ſtatutorum ſub rubrica. de abſcentia alleganda, in
ſecundo libro Ciuilium.

Quod nullus ante ſententiam debeat aggrauari. Cap. 2.

STATVERVNT, & ordinauerunt quod D. Locumt. dictæ Terræ & eius offi
ciales ante ſententiam, in perſona, vel rebus nullum debeant aggrauare, nec con
ſtringere, & incarceribus ponere pro aliquo delicto, pro quo pœna pecuniaria ve
niret imponenda, ſi fideiuſſores dare vellet de ſtãdo iuri, & iudicatum ſoluendo.
Et ſi D. Locumt. & eius officiales contrafecerint, puniantur pœna quinq; floreno
rum pro quolibet, & vice qualibet: addito tamẽ quod præſens ſtatutum non pro-
cedat in delictis, in quibus de iure cõmuni poſſet imponi pœna corporalis, licet ex
forma præſentium ſtatutorũ veniret imponenda pœna pecuniaria, & etiã in fur-
tis, in quibus D. Locumt. poſſit reos ad veritatẽ eruendam carcerare, ſtantibus
indiciis ſufficientibus.

De ſententiis ferendis Cap. 3.

DOMINVS Locumt. qui pro tempore fuerit in dicta Terra, teneatur, & de-
beat vinculo iuramenti, & pœna quatuor florenorũ, ſingulis menſibus, in cauſis
criminalibus ferre ſentẽtias abſolutorias, vel cõdemnatorias. Addiicientes quod
D. Locumt. & ſui officiales teneantur, & debeant omnes, & ſingulas inquiſitiones,
denuntias, & accuſas finire, & terminare, & ad ſententiam producere infra qua-
dragínta dies, cõputandos a die citationis factæ de accuſato, vel inquiſito, ſub di-
cta pœna. Et hoc capitulum ſit præciſum, & tolli non poſſit quoquo modo.

De caſtigatione familiarium, & damnum dantium in poſſeſſionibus alterius. Cap. 4.

SI QVIS caſtigauerit aliquem ſuum familiarem moderate, vel aliquẽ dam-
num dantem in ſua poſſeſſione cum beſtiis, ſtudioſe, vel manualiter, ſi ſine ſangui
ne, ad pœnam nullatenus teneatur. Et ſit licitum ab eo pignus accipere, & auferre,
& curiæ portare, & credatur domino rei, vel laboratoris, vel eorum familiaribus
cum iuramento, quod in re ſua damnum dederit, non obſtante aliquo capitulo ſu
pra, vel infra poſito. vel ponendo.

De pœna blasphemantis Deum, beatam Virginem, & Sanctos, Cap. 5.

QVONIAM grauius eſt æternam, quam temporalem lædere maieſtatẽ; hac igitur præſenti lege ſtatuerunt, quod blasphemans, vel maledicens Deũ, vel beatam Virginem, cum in tantum ſcelus proſilire nequierint, in florenis ſex puniatur, & ſi pœnam prædictam in termino in ſententia ſtatuto ſoluere non potuerit, per Terram S. Gemini publice fuſtigetur. Si autẽ quis appotauerit Deum, vel beatam Virginẽ, vel eorũ mẽbra pudibũda, ſeu aliter quomodocunq; vane, & iniurioſe nominauerit, puniatur in medietate dictæ pœnæ pecuniarię, quam ſi ſoluere non potuerit, ponatur ad berlinam in platea palatii, & ibi per totum diem detineatur. Si quis autẽ ſanctos, vel ſanctas Dei blasphemauerit, vel maledixerit, puniatur in florenis tribus, & ſi ipſorũ mẽbra, vel pudibunda, vt ſupra nominauerit, vel maledixerit vt ſupra, puniatur in medietate dictæ pœnæ. Et in prædictis liceat vnicuiq; accuſare, & credatur accuſatori cum dicto vnius teſtis fide digni, & accuſatus teneatur ſecretus, & lucretur medietatem, vt ſupra, dictarũ pœnarũ: & id locum non habeat in Curia accuſante. Et in prædictis poſſit procedi per accuſam, denunciam, & inquiſitionem: & pœnæ integraliter ſoluantur, ſine aliqua diminutione, non admiſſis beneficiis. Et ſemel punitus, ſi alias in dictis criminibus blasphemiæ inciderit, puniatur arbitrio Dominorũ Illuſtriſſimorum.

De pœna portantis arma. Cap. 6.

NVLLVS Terrigena, vel forenſis audeat vel præſumat arma offenſibilia, vel defenſibilia per Terram prædictam portare, vz. ſpatam, pugionẽ, ſtortam, piſtolesium, ſtochum, & his ſimilia, ad pœnam vnius floreni pro quolibet genere dictorum armorum offenſibilium, & eorum amiſſione, & vice qualibet. Si quis autem portauerit cultellum vltra menſuram ſignatam in lapide prope berlinam, & in platea palatii, dicta pœna puniatur. Si autem aliquis aufugerit ante notarium, & familiam D. Locumt. dum iret rimando pro armis, & ſibi dictum fuerit quod expectaret, habeatur pro confeſſo pro tribus armis tantũ offenſibilibus: & illud idem ſi, non permiſerit ſe rimari, & ſcrutari. Et de fuga prædicta, & reſiſtentia in nõ permittendo ſe rimari, ſtetur, & credatur relationi familiæ D. Locumt. cum iuramento, & in talibus pœna duplicetur. Declarantes quod liceat vnicuiq; in eundo vel redeundo deforis portare arma, & ad pœnam nullatenus teneatur. & de hoc ſtetur, & credatur iuramento arma portantis, ſi fuerit bonæ conditionis, & famæ, Et D. Locumt. prædictus teneatur, & debeat qualibet hebdomada ſaltem mittere ſuam familiam per Terram prædictam die noctuq; ad rimandũ arma portantes, ad pœnam quinq; florenorum tempore ſindicatus ſoluendorum. Et à præſenti capitulo excipiantur portantes archibuſettum, qui poſſint acrius puniri arbitrio Illuſtriſſimorum Dominorum, ẽt vſq; ad mortem incluſiue. Et in prædictis, & quolibet prædictorum per inquiſitionem procedi non poſſit.

De inſultu cum armis Cap. 7.

QVICVNQVE fecerit inſultum, impetum, & aggreſſuram contra aliquam perſonam cum infraſcriptis armis vz. ſpata, vel telo, ſpontone, mazza ferrata, lancia, pignalone, zappa, uanga, bidente, palla, baſtone ferrato, uel aliis ſimilibus,

puniatur

puniatur in duobus florenis pro quolibet, & vice qualibet; & si cum omnibus su pradictis armis insultauerit. Sed si arma prædicta, vel eorum alteram euaginauerit insultando, in quatuor florenis vice qualibet condemnetur. Si vero cum dictis armis, vel aliquo ipsorum percusserit, si pœna percussionis esset maior quam pœna assalimenti, tunc puniatur delinquens in pœnam percussionis, & non assalimenti. Si vero pœna percussionis nō excederet pœnā assalimenti, puniatur delinquēs in pœnā assalimenti, & non percussionis. Si vero insultauerit cum lapide, baculo, vel bastone, vel alio genere armorum similium, puniatur delinquens in iuliis sex vice qualibet: & eandem pœnam soluere teneatur, si cum dictis armis, vel aliquo eorum adminauerit. Insultus vero intelligatur, quando quis se mouerit contra aliquem de loco ad locum, eundo contra eum: liceat tamen assalito, & insultato tam cum armis quā sine se defendere sine pœna, cum moderamine inculpatæ tutelæ: dummodo dictā defensionem fecerit incontinenti, & sine aliquo interuallo. Si vero aliquis fuerit assalitus ad domū suæ habitationis, siue in possessione propria, vel conducta, tunc omnes pœnæ prædictæ contra dictos aggressores totaliter duplicentur, & pœnæ prædictæ arbitrio Illustriss. Dominorū acrius, & corporaliter arbitrio eorum possint aggrauari.

De pœna percutientis cum armis. Cap. 8.

SI QVIS percusserit aliquam personam in Terra S. Gemini, & eius districtu cū armis ferreis v3. spata, cultello, plumbarola, lācea ferrata, zappa, bidēte, spontono, vel aliis armis similibus à collo supra versus faciem cum sanguinis effusione, & cicatrici turpe remansura; in florenis trigintaduobus vice qualibet condemnetur, & acrius arbitrio Illustriss. DD. Et de cicatrice turpi perpetuo remansura, stetur & credatur iudicio peritorū dictæ Terræ. Et si ex ipsa percussione cicatrix turpis nō remanserit duratura vt supra, florenos vigintiquatuor soluere compellatur. Si vero sanguis non exiuerit, in sex florenos vice qualibet condemnetur. Si vero percussio facta fuerit in capite cum dictis armis, cum sanguinis effusione, in sexdecim florenis vice qualibet condemnetur. Si autem in collo, & à collo infra, cum sanguinis effusione, in medietate dictæ pœnę. Si vero sine sanguine, in duobus florenis, vt supra puniatur. Si vero ex ipsa percussione membrum aliquod incidi, vel frangi contigerit, vel si percussio ad inferiora corporis penetraret, in sexdecim florenis, vice qualibet condemnetur, et acrius arbitrio Illustriss. DD. Et si ex ipsa percussione membrum aliquod deformatum, vel turpe remanserit, vel ex ipsa percussione dens perdi contingerit, in florenos decem pro quolibet, & vice qualibet condemnetur. Si vero ex ipsa percussione pes, vel manus, & nasus, lingua, vel labia contigerit amputari, pro quolibet dictorum membrorum & vice qualibet in triginta duobus florenis condemnetur, & acrius arbitrio Illustriss. DD. Et si ex percussione oculus cęcaretur, in duplū dictæ pœnæ delinquens condemnetur. Si vero in dictis armis quis adminauerit, & non percusserit, florenum vnum soluere teneatur. Qui vero percusserit, vel mutilauerit aliquod supradictorum membrorum, & pœnā soluere non potuerit, arbitrio Illustriss. DD. puniatur. Si quis vero costā alicuius fregerit, si cum sanguine, in triginta duobus florenis puniatur: & si sine sanguine, in medietate dictæ pœnæ. Si quis autem cum baculo, arundine, lapide, & his similibus à collo supra aliquem percusserit, & sanguis exierit, in quinq; florenis pro quolibet, & vice qualibet condemnetur. Et si cicatrix turpis remanserit, in sexdecim florenis

nis puniatur, & acrius arbitrio Illustríss. DD. Si vero sine sanguine, florenum vnum cum dimidio soluere teneatur. Si autem in collo, & a collo infra, & sanguis exiuerit, in pœnam proxime dictam condemnetur, si sine sanguine, inmedietate dictę pœnæ pro qualibet percussione puniatur: & in quolibet supradictorum casuum semper ad partis offensæ interesse teneatur.

De pœna percutientis aliquem manu uacua Cap. 9.

SI QVIS raschiauerit, seu percusserit aliquam personam manu, pede, vel pugno in facie, vel a collo supra cum sanguinis effusione, in tribus florenis vice qualibet condemnetur. Si sine sanguine, in medietatem dictæ pœnæ. Si vero a collo, & a collo infra, in quacunq; corporis parte, & sanguis exierit, in octo iuliis vice qualibet condemnetur, si sine sanguine, in medietate dictæ pœnæ pro qualibet percussione, & vice qualibet. Si vero aliquem cœperit per capillos contra voluntatem ipsius iniuriose, in iuliis tribus vice qualibet puniatur. Si vero eum interra prostrauerit, & cœperit per capillos, & trascinauerit, in florenis tribus vice qualibet condemnetur. Et si quis impinxerit aliquem iniuriose, & eum cadere fecerit in terram, si cum sanguine, in pœnam proxime dictam condemnetur, si sine sanguine, in medietatem dictæ pœnæ. Si dederit ei calcem, in iuliis quatuor pro quolibet, et vice qualibet puniatur. Si quis autem dilaniauerit personam alicui contra eius voluntatē iniuriose, in pœnā proxime dictam cōdemnetur, & si cœperit vllo modo aliquē iniuriose, & nō dilaniauerit, in medietate dictæ pœnæ vice qualibet puniatur. Et pœnę p̄dictę possint arbitrio Illustríss. DD. aggrauari acrius & corporaliter.

De pœna dicentis uerba iniuriosa alicui. Cap. 10.

SI QVIS dixerit alicui verba iniuriosa, v3. falsarium, traditorem, cornutum, latronem, carnificem, vel his similia, in pœnā trium florenorum pro quolibet verbo iniurioso, & vice qualibet condemnetur. Et si ille, cui talia verba iniuriosa dicta fuerint pro repulsa sui honoris responderit, Tu menti per la gola, non teneatur ad pœnam aliquam. Si quis reinproperauerit alicui aliquā iniuriam in se passam, vel in aliquem suum consanguineum vsq; in tertium gradum, secundum ius canonicum computandum, de qua iniuria pax facta esset, in pœnā octo florenorum vice qualibet puniatur. Si vero pax facta non esset, in medietatē dictæ pœnę condemnetur. Et si aliquis malæ famæ dixerit alicui bonæ familiæ verba iniuriosa, semper pœnam duplicatam soluere teneatur. Si autem aliquis mentiuerit aliquem per gulam, pœna vnius floreni mulctetur. Et in omnibus prædictis procedi possit per inquisitionem, accusam, & denunciam. Et quilibet possit accusare. Et si alia leuiora pœna baiochorum octo pro quolibet verbo puniatur, & non possit procedi nisi ad querelam partis iniuriam passæ. Et in omnibus arbitrio Illustriss. Dominorum tam in condemnando, quam in absoluendo.

De pœna mulierum malæ famæ commorantium in Terra Sancti Gemini. Cap. 11.

NVLLA meretrix, seu mulier malæ famæ possit stare, & morari in Terra Sancti Gemini ad peccandum, ad pœnam decem florenorū pro qualibet, & vice qualibet. Et D. Locumt. qui pro tempore fuerit teneatur, & debeat vinculo iuramenti

ti ad petitionem cuiuſcunq; petentis, ipſas meretrices expellere de dicta Terra, & eius territorio.

De delictis minorum, & eorum pœna. Cap. 12.

MINOR duodecim annorum non poſſit puniri de aliquo maleficio, vel delicto, niſi de percuſſione cuiuſlibet generis armorum, & niſi accuſaretur a patre, matre, fratre carnali, auo, vel patruo offenſi: & ſi offenſus aliquos non haberet in dictis gradibus, quilibet poſſit accuſare, & nihilominus in medietate pœnæ in omnibus caſibus puniatur. Si autem dictus minor damnum dederit in poſſeſſionibus alterius, puniatur ſecundum formam ſtatutorum: & quod preſens ſtatutum nõ excuſet minores prædictos a pœna delationis armorum, quo caſu poſſint puniri ſicut eſſent maiores, & etiã ſi malitia ſuppleret ętatem, ad arbitrium Illuſtriſſ. DD.

De pœna falſi. Cap. 13.

FALSVM Inſtrumentum faciens, vel fieri mandans, producens, & ſcienter eo vtens, falſos teſtes ſcienter inducens, & falſum teſtimonium proferens, & eorũ dictis, & atteſtationibus ſcienter vtens, pœna centũ florenorũ puniatur pro quolibet, & vice qualibet, & teneatur ad intereſſe partis, cauſamq;, & litem perdat, ſitq; infamis: & Notarius ſic delinquens officio notariæ priuatus. Et ſi prædicti in fortiã Curiæ peruenerint, & pœnam prædictam ſoluere non potuerint, fuſtigentur publice per Terram prædictam, & Notario manus dextera penitus amputetur. Si quis autem literas Illuſtriſſ. DD. vel alterius, abraſerit, ſeu falſificauerit quomodolibet vel libros proprios, ſeu alterius, uel falſam ambaſciatam quocunq; portauerit, pœna uigintiquinq; florenorum puniatur: quo ad falſi ſcandas literas Illuſtriſſimorũ DD. vel eorum priuilegia, puniantur arbitrio Illuſtriſſimorum Dominorum.

De pœna committentium homicidium. Cap. 14.

HOMICIDIVM ſi quis doloſe commiſerit in perſonam cuiuſcunq; in Terra, & territorio S. Gemini, pœna legali puniatur, & in confiſcatione bonorum. Si quis autem per pecuniam homicidium commiſerit, & in fortiam Curiæ deuenerit, traſcinetur prius per Terram prædictam, & poſtea per gulam laqueo ſuſpendatur: ita & taliter quod penitus moriatur. Sed ſi non dolo, ſed culpa aliqua pręcedente homicidium quis commiſerit, arbitrio Illuſtriſſimorum Dominorum dictæ Terræ puniatur. Declarantes, quod quando fuerit perpetratum aliquod homicidium in rixa, & fuerint plures, quod unus ſolus pœna ordinaria homicidii puniatur, & condemnetur; ceteri uero condemnẽtur de uulneribus, quæ intulerint, iuxta formam ſtatutorum loquentium de illis; & ſi tales delinquentes in prædictis fuerint in diſcordia, & contentione coram dicto D. Locumtenente, dictum homicidium appropriandi alicui ipſorum, & dictum homicidium unus ipſorum ſpatio decem dierũ non confiteretur, quod tunc omnes qui interfuerint ad dictum homicidium, percutiendo, ut ſupra, condemnentur pœna ordinaria homicidii, tamq̃ confeſſi, & conuicti. Qui uero non dolo, uel culpa, ſ[illegible]du, qui pręuideri non potuit, nec debuit, uel ad defenſionem ſibi permiſſam, ſ[illegible]re permittente aliquem occiderit, nulla pœna puniri poſſit.

De

De pœna auxiliantium ad perpetrandum aliquod delictum. Cap. 15.

STATVERVNT, & ordinauerunt, quod si aliquis principalem homicidã tempore homicidii associauerit, & illum qui occidebatur percussit, tenuit, uel ita impediuit, quod se defendere nequiuit obstante sua detentione, uel impedimẽto: pœna arbitraria, ut supra proximo capitulo puniatur. Si uero homicidam prędictum scienter ad homicidium associauerit, & non percusserit, uel aliter operatus non est: in centum florenis puniatur, etiam usq; ad mortem naturalem inclusiue, & aliter arbitrio Illustrissimorum Dominorum. Et si dicto tempore etiam defenderit ne a Curia caperetur, in duplum dictæ pœnę puniatur. Qui uero non associauerit principalem homicidam tempore homicidii, sed ipsum post homicidium commissum defendit, ita quod capi non potuit, aut in domo, uel alio loco scienter occultauit, uel homicidam fugientem associauit: puniatur pœna uigintiquinq; florenorũ, & alias arbitrio Illustrissimorum Dominorum. Si autem ignoranter associauerit, uel occultauerit, seu defenderit, puniatur in quarta parte dictarum pœnarum respectiue. Associantes aliquem ad committendum aliquod maleficium, siue percussionem, uel aliam iniuriam faciendam; si percusserit, teneatur ad pœnam contentam in statuto, & capitulo loquente de percussione quam fecerit. Si autem non percusserit, sed associauerit scienter: soluat medietatem pœnæ, quam solueret ille, qui talem percussionem faceret.

De pœna forensis percutientis terrigenam. Cap. 16.

STATVERVNT, & ordinauerunt, quod si quis forensis quoquomodo offenderit, seu percusserit aliquem de dicta Terra cum sanguinis effusione, uel sine: teneatur soluere pœnam duplicatam, ut in singulis capitulis, & statutis de maleficiis loquentibus continetur.

De pœna impedientium officiales, & Baiulum in eorum officio. Cap. 17.

CVM legi diuinę, & humanæ resistere uideatur, qui officiales in eorum officio sataguntimpedire; uolentes talium personarum pernicioſam temeritatis audaciã coercere, Statuerunt, & ordinauerunt, quod si quis aliquem homicidam, & alios delinquentes e manibus Curiæ exemerit, eadem pœna puniatur, qua puniendi uenissent si delinquentes exempti non essent. Et si quis supradictos eximere tentauerit faciẽdo suum posse, & non exemerit: si homicidam, in uigintiquinq; florenis, si alios delinquentes in decem florenis puniatur, & alias arbitrio Illustrissimorum Dominorum. Si quis autem officiales, & Baiulum impedierit in causis ciuilibus, & captos per eos ducere non permiserit, in quatuor florenis puniatur, & ad interesse partis. Si autem tentauerit prædicta committere, licet non perfecerit, in medietate dictæ pœnæ puniatur. Nulla autem persona audeat, uel præsumat se parare, uel interponere alicui Baiulo, uel officiali Communis prędicti uolenti aliquẽ expignorare, uel pignus per eos acceptum auferre, uel denegare, mandato Curiæ sub pœna, si erit masculus, unius florení pro quolibet, & qualibet uice. Si uero fœmina baiocchorum quinq;. Et si dictos officiales, & Baiulum quis impedierit, dum uellent de mandato Curiæ alicui tenutam aliquorum bonorum dare, puniatur in pœnam unius florení pro qualibet uice, & quolibet contrafaciente; & semper saluo arbitrio Illustrissimorum Dominorum.

De

De pœna imponenda per Dominum Locumt. & eius officiales. Cap. 18.

DOMINVS Locumtenens, & eius officiales possint mulctare, & pœnam imponere in ciuilibus causis quatuor baiocchorum; in criminalibus vero causis octo baiocchorum; dummodo in præceptis per eos, vel alterum eorum fiendis, semp apponatur causa quare fit præceptum, & eas pœnas auferre de facto, in totum vel in partem, prout eis videbitur, & placebit, sine prolatione sententiæ. Prouiso, quod in grauibus delictis Dñs Locumt. vel. sui officiales possint imponere pœnã duorũ florenorum, personarum, & delicti qualitate inspecta, quæ non vendicent locum in preceptis, quæ fierent, in scriptis in quibus D. Locumt. possit apponere pœnam sibi beneuisam.

De pœna corrumpentis Dñs Locumt. & eius officiales. Cap. 19.

DOMINVM Locumt. & eius officiales nemo audeat corrumpere, vel aliquid alicui ipsorum dare, vel promittere pro spectantibus ad eorum officium, & qui cõ trafecerit in pœnam decem florenorum vice qualibet per futurum Locumt. pro tempore condemnetur; officiales vero taliter corrupti in duplum pœnæ prædictę sindicatus tempore condemnẽtur, & hoc locum habeat in præteritis, præsentibus, & futuris.

De pœna turbantis aliquem in possessione sua. Cap. 20.

SI QVIS possessionem alicuius rei immobilis, penes aliquem consistentem, authoritate propria occupauerit, vel apprehenderit, suum aduersarium possessione priuando; in tribus florenis vice qualibet condemnetur. Si autem turbauerit, vel molestauerit in possessione alicuius rei mobilis, quam teneret, in vno floreno vice qualibet condemnetur. Si vero occupans, vel apprehendens possessionem alicuius rei immobilis infra octo dies post responsionem accusę de eo factæ, voluerit possessionem relaxare, & desistere ab ea, pro tali occupatione tantummodo in vno floreno puniatur. Idem declarantes de eo, qui turbauerit aliquem in re mobili, ꝙ si cessare voluerit a turbatiua infra octo dies vt supra, in vigintiquinq; baiocchis tã tummodo puniatur, nec intelligatur quis occupare, turbare, vel molestare si iuerit ad possessionem alterius, & in ea damnum dederit; si illud non fecerit animo possidendi.

De pœna Baiuli committentis fraudem in eius officio. Cap. 21.

QVICVNQVE Baiulus, sine licentia Curiæ iuerit ad dandum tenutam, vel pignora alicui auferret, vel aliter in suo officio fraudem commiserit, vel forsan relationem fecerit; in duobus florenis vice qualibet condemnetur, & nihilominus per terram prædictam fustigetur, & ex ipsa expellatur. Qui vero falsam relationem fieri fecerit, in quatuor florenis vice qualibet condemnetur, & processus, tenuta, vel datio pignoris non valeat, nec teneat ipso iure, & hoc locum habeat in ciuilibus, & criminalibus.

De pœna furantis. Cap. 22.

QVICVNQVE in terra S. Gemini, vel eius territorio rem valoris vnius flore-

ni, & ab inde infra furatus fuerit, soluat nomine pœnę quadruplum rei subtractę, ab inde vero supra vsq; ad quinq; florenos, soluat nomine pœnæ florenos quadraginta; quam pœnam si soluere non potuerit, fustigetur per Terram Sancti Gemini. Si autem aliquis furatus fuerit a quinq; florenis supra vsq; ad decem florenos, centum florenos nomine pœnæ soluere teneatur; & si soluere non potuerit, fustigetur & bulletur in fronte. Et a decem florenis supra vsq; ad vigintiquinq; soluat ducentos florenos, quos si soluere non potuerit infra decem dies a die latæ sententiæ, mittatur ad triremes per quinquenniũ. A vigintiquinq; florenis vsq; ad quinquaginta, soluat pro pœna tercentum florenos, quos si soluere non potuerit infra dictum terminum, mittatur ad triremes perpetuas. A quinquaginta vsq; ad centum, sit pœna fustigationis, & triremium perpetua, & in omnibus supradictis casibus semper damnum in duplum debeat emendari. Si vero aliquis domum alicuius qualitercunq; contra voluntatem domini, vel habitatoris intrauerit, pœnam decem florenorum incurrat. Et si quis per vim, & violentiam extorserit, derobauerit, vel acceperit ab aliquo aliquam rem, seu pecuniarum quantitatem, memoratis pœnis duplicatis subiaceat, habita consideratione valoris rei sic per vim subtractæ. Adiicientes quod si quis receptauerit scienter res furtiuas, puniatur ita, atq; si principaliter ipse furtum commisisset; & nihilominus rem furto subtractam restituere teneatur. Publici autem, & famosi latrones, ac viarum, & stratarum derobatores pœnis legalibus plectantur. Prouiso, quod vbi quis esset solitus furari, ob talem consuetudinem, si furta omnia ascenderent ad vigintiquinq; florenorum valorem, debeat furca suspendi; & etiam pro vno furto notabili ascendente ad summam centum florenorum. Et si infra dictam summam vigintiquinq; florenorum quis esset solitus furari, puniatur pœna arbitraria, etiam vsq; ad mortem naturalem.

De pœna frangentis pacem. Cap. 23.

QVICVNQVE ruperit pacem factam cum aliquo, soluat, & soluere teneatur pœnam duplicatam, contentam, appositam, & stipulatam in instrumento pacis, & si pœnam prædictam soluere non potuerit, puniatur arbitrio Illustrissimorum Dominorum. Et si de pace non constaret per instrumentum, sed per testes, similiter puniatur arbitrio eorundem, etiam in omnibus casibus supradictis.

De pœna petentis debitum iam solutum. Cap. 24.

PLVS quantitate seu repetens, vel peti mandans absq; rationabili causa ignorantiæ, a toto cadat; & ꝙ petit, vel peti fecerit in tantum quantum est quod plus petiit totaliter condemnetur Cameræ Illustrissimorum Dominorum. Ad refrenandum autẽ calumnias petentiũ iam solutum, duxerunt præsenti lege statutaria decernendũ, ꝙ petens scienter, seu peti faciens, vel peti mandans in iudicio debitum solutum, de quo ipsi petenti, vel alteri pro eo, vel ipsius antecessoribus, vel auctoribus fuerit quomodolibet satisfactum, nisi habeat iustam causam ignorantię de solutione facta alteri personæ quam sibi; in duplum eius quod petiit, & solutum extiterat, irremissibiliter dictæ Cameræ condẽnetur: & nihilominus si in eo appareret instrumentum publicum, vel alia scriptura, infra quinq; dies debitori D. Locumt. restitui faciat cancellatum. Et prædicta locum habeant inter contrahentes tantum, in prædictis instrumentis contentos.

De

De pœna immittentis ignem. Cap. 25.

SI QVIS immiſerit ignem ſtudioſe in domum alterius, ſiue in Terra Sancti Geminí, ſiue extra, de die, ſiue de nocte, incendiarius igne comburatur, & damnum emendet patienti in duplum, & ſtetur ſacramento domini damnum paſſi de dicto damno; perſonarum qualitate ſemper inſpecta. Si vero caſu, cum aliquali tamen culpa illius, incendium oriri contingerit, & propterea domus combuſta fuerit, in decem florenis puniatur, & damnum emendet, vt ſupra. Et prædicta locum habeant in domibus habitatis. Si uero ex propoſito domum habitatam aliquis igne combuſſerit, in uiginti florenis puniatur, & acrius arbitrio Illuſtriſſimorum Dominorum. Si uero caſu id euenerit, cum aliquali ſua culpa, in florenis quinq; puniatur. Si autem capannam tempore quo perſonaliter habitabatur aliquis igne arſerit, uel in eam ignẽ immiſerit, & per ipſum non ſteterit quominus combuſta fuerit, in quindecim florenis, & ſi ex propoſito hoc fecerit puniatur; & acrius arbitrio Illuſtriſſimorum Dominorum. Si autem caſu, cum aliquali culpa, in quinq; florenis. Si vero non habitatam, in quindecim florenis, ſi ſtudioſe id fecerit, & ſi caſu, vt ſupra in vno floreno puniatur. Et ſi paleare, vel quid ſimile ſtudioſe combuſſerit, in quinq; florenis puniatur; ſi autem caſu, aliquali culpa præcedente, vt ſupra in vno floreno. Et in omnibus ſupradictis caſibus damnum patienti emendetur in duplum. Declarantes quod immittens ignem ſtudioſe in ſegetibus, barchone, vel meta grani alicuius, puniatur pœna viginti florenorum, & vlterius abitrio Illuſtriſſimorum Dominorum vltra damni emendationem in duplum. Si quis vero ignem in ſtipulis, vel ceſis immiſerit, non ſtudioſe, & damnum alicui conuicino intulerit, ad pœnam nullatenus teneatur, ſed ſolummodo ad damni emendationem, ſine ſtrepitu, & figura iudicii. Si vero ſtudioſe, puniatur pœna decem florenorum, & damnum emendet, vt ſupra duplicatum; ſaluo ſemper arbitrio Illuſtriſſimorum Dominorum etiam arctius, & corporaliter puniatur.

De guaſto, & damno dato. Cap. 26.

SI QVIS damnum, ſeu guaſtum fecerit in poſſeſſionibus incidendo vſq; ad ſex arbores domeſticas, & fructiferas, incidat in pœnam vigintiquinq; florenorum, ſine aliqua diminutione pro quolibet contrafaciente, & vice qualibet. Si vero in vinea, vel alibi quis inciſerit ſex vites, eandem pœnam delinquens ſoluere teneatur, ab inde vero ſupra puniatur pœna centum florenorum. Si autem in horto quis guaſtum fecerit, euellendo, vel quoquomodo deguaſtando vſq; ad decem pepones, vel cucurbitas, ſiue cucumberos, & ſimilia; vel ſi collegerit vſq; ad quantitatẽ quinquaginta cęparum, alliorum, & ſimilia; vel ſi pedes caulium, & ſimilium in dicto numero inciſerit, vel collegerit, medietatem dictæ pœnæ malefactor ſoluere teneatur ſine diminutione, vt ſupra. Si autem vltra dictum numerum deguaſtauerit, augeatur pœna arbitrio Illuſtriſſimorum Dominorũ ſecundum qualitatem, & quãtitatem guaſti dati. In omnibus ſupradictis caſibus damnum in duplum ſemper patienti emendetur. Et ſi dicti malefactores, & depopulatores in fortiam Curiæ deuenerint, vltra ſupra memoratas pœnas, ponantur, & poni debeãt ad berlinam per vnum diem integrum. Et eiſdem pœnis ſubiacere decreuerunt colligentes in poſſeſſionibus, & vineis alienis ad numerum vigintiquinq; raſporum vuarum, & locum habere decreuerunt in vuis domeſticis tantum; ab inde vero infra puniatur ſecuudum formam ſtatutorum in materia loquentium.

De pœna guaſtantis Capannam alterius. Cap. 27.

ACCIPIENS decorrentem, vel lígna alíqua de Capanna alícuius ſparando, díſcoperiendo, vel alíter eam deguaſtando in partem, ſoluat nomine pœnæ duos florenos, & credatur ſacramento damnum paſſi. Sí autem in totum quís Capannã deguaſtauerit, vel maiorem partem eius, duplum dictæ pœnæ ſoluere teneatur, & ſtetur ſacramento domini, ſiue laboratoris bonæ conditionis, & famæ vt ſupra, & damnum ſemper patienti in duplum emendetur.

De ueneficis, facturarijs, uel indouinis. Cap. 28.

FACTVRARI, ſiue facturas facere, vel indouinare, nulla perſona in dicta Terra, vel eius territorio audeat, vel præſumat: nec venenum præparare, vel maleficium, vel nociuum poculum facere, vel alicui dare ad pœnam trigínta florenorum, & vltra arbitrio Illuſtriſſimorum Dominorum, etiam vſq; ad mortem naturalẽ incluſiue: & ſi quis de veneno, vel malo poculo moreretur, tunc dans, & patrans dictum delictum, legalibus pœnis puniatur. Sí quis autem retinuerit lenones publícos, vel peruerſos homines malæ conditionis, & famæ, ſoluat nomine pœnæ p qualibet die, & vice qualibet florenum vnum. Et ſi prædictæ indiuinatrices, & venena pręparantes, dictam pœnam trigínta florenorum ſoluere non potuerint, amputetur ſibí lingua, ita & taliter quod loquí non poſſit. Et D. Locumt. teneatur & debeat vínculo iuramentí, & pœna decem florenorum, ad denuntiationem cuiuſcunq; contra prædictos delinquentes procedere, vt ſupra.

De pœna exeuntis aliunde quam per portam. Cap. 29.

TERRAM S. Gemini, niſi per portas apertas nulli liceat introire, vel exire de die, vel de nocte, ad pœnã octo florenorum, & vltra arbitrio Illuſtriſſimorũ Dominorũ pro quolibet, & vice qualibet qua fuerit contrafactum. Et D. Locumt. pro tempore, quolibet menſe teneatur, & debeat reuidere vna cum dominis Prioribus muros, ſiue mœnia dictæ Terræ, & vbi oportunum fuerit ibi reparare faciat ſub pœna prædicta. Adiicientes quod nulli liceat habere in muris dictæ Terræ hoſtium, vel feneſtras a decem, & octo pedibus infra, per quod, vel per quas aliquis poſſet ingredi, vel exire, & quilibet habens hoſtium, vel feneſtram, debeat ipſum, vel ipſam recludere cum calce, lapidibus, & arena, in ea groſſitudine, qua eſt murus, in quo eſſet tale hoſtium, ſiue feneſtra, in octo dies poſtquam per prædictam Terram bãditum fuerit, & contrafacientes ſupradictis pœnis ſubiaceant vice qualibet, & pro qualibet feneſtra, ſiue hoſtio, ſaluo ſemper arbitrio Illuſtriſſimorum Dominorũ.

De receptatione bannitorum. Cap. 30.

RECEPTANS ſcienter exbanditum communis dictæ Terræ pro homicidio, in dicta Terra, vel burgis, in domo propria, vel conducta, in octo florenis, & vltra arbitrio Illuſtriſſimorum Dominorũ vice qualibet condemnetur: ſi vero extra terram, vel burgos eum receptauerit in capanna, vel alibi, dando ſibi ad comedendũ & bibendum, in medietate dictæ pœnæ vice qualibet condemnetur. Si vero exbãnitum pro alio maleficio receptauerit, puniatur in vno floreno uice qualibet, &

pro

pro quolibet exbannito. Sed si locutus fuerit, vel staret cum eo extra dictam Terram, ad pœna m nullatenus teneatur.

De pœna uulnerantis, uel interficientis animal alterius. Cap. 31.

BOVEM, asinũ, equũ, iuuencũ, mulũ, porcũ, & his similia alicuius personæ nemini vulnerare liceat, ad pœnam duorum iuliorum pro quolibet animali, & si ex ipso vulnere illato moreretur, in duplum pœnæ prædictæ condemnetur; pro aliis vero animalibus teneatur ad medietatem dictarum pœnarum respectiue. Et semper in quolibet casu prædictorum damnum patienti in duplum debeat emẽdari.

De pœna extrahentis terminos. Cap. 32.

REMOVENS, vel mutans terminos immissos pro confinibus alicuius possessionis, in quatuor florenis, & vltra arbitrio Illustrissimorum Dominorum vice qualibet condemnetur; quos D. Locumt. teneatur auferre, & exigere absq; prolatione sententiæ, seu processu exinde formando; & solum sufficiat quod ad petitionem cuiuscunq; petentis idem D. Locumt. mittat Partiserium, vna cum duobus de contrata, qui perquirant, & inuestigent veritatem de terminis mutatis, vel extractis, & secundum quod retulerint, vna cum publica voce, & fama, quæ contra aliquem de dicta extractione, seu mutatione laboraret, possit, & debeat dictus D. Locumt. modo, & forma vt supra inculpatum, & diffamatum pœnis prædictis mulctare, & habeatur pro legitima probatione prædictorũ relatio, & diffamatio, vt supra. Quæ omnia habeant locum etiam in immittente falsum terminum.

De pœna frangentis carceres. Cap. 33.

NVLLVS audeat, vel præsumat frangere, vel rumpere carceres dicti communis, in quibus, vel quo positus esset ad pœnam duplicatę quantitatis pro qua esset carceratus. Et in causis criminalibus puniatur arbitrio Illustrissimorum Dominorum. Et nulla persona eidem carcerato in dictis carceribus debeat dare, vel præstare auxilium, consilium, vel fauorem, sub incursu pœnarum prædictarum.

De castigatione propinquorum. Cap. 34.

CORRIGERE, & castigare fratrem, sororem, generum, filium, cognatum, nepotem, vel alios consanguineos, vel affines, vsq; in tertium gradum, secundum ius canonicum computandum, in modum correctionis, sine ferro, cum baculo, pugno manu, corrigia, sine sanguine, vel capiendo per capillos, proiciendo in terra, & dare cum calcibus, cuilibet liceat, & credatur sacramento correctoris, vel castigatoris, quod correctionis causa fecerit, consanguinitate, vel affinitate approbata corã curia dictæ Terræ. Qui autem vulnerauerit aliquem ex prædictis cum ferro, vel lapide, cum sanguinis effusione, pœnam duplicatam soluere teneatur. Et quicũq; patrem proprium vulnerauerit, cum sanguine, vel sine, quod vltra dictam pœnã debeat stare, & morari in carceribus dicti communis per spatium duorum mensiũ continuo, & plus arbitrio dicti patris, & non minus. Et eodem modo puniatur

nepos

nepos si aliquod ex prædictis commiserit in personam sui patrui carnalis, & vltra arbitrio Illustrissimorum Dominorum in supradictis casibus puniatur, & acrius.

De proiectione lapidis de domo, uel aliunde. Cap. 35.

QVICVNQVE de domo propria, vel conducta, vel aliunde lapidem, tegulam, lignum, vel aliquid simile in domo, vel intus, aut supra tectum alicuius proiecerit; & tegulas, vel ligna fregerit; in quatuor florenis vice qualibet condemnetur, & damnum nihilominus emẽdare teneatur. Et si ex dicta proiectione lapidũ, tegularum, vel liguorũ, & similium, aliquis percussus fuerit; puniatur delinquens secundum formam statutorum de materia loquentium. Si autem quis proiecerit lapides, & alia similia studiose, & tegulas non fregerit, puniatur in pœnam baiocchorum vigintiquinq; pro quolibet, & vice qualibet.

De pœna offendentis accusatum, dum iret ad se excusandum. Cap. 36.

OFFENDENS accusatum aliquem, vel offendi faciens, vel mandans aliquem denuntiatum, vel inquisitum, in eundo, vel redeundo a Curia ad se excusandum, pœnam duplicatam pro tali iniuria Cameræ Illustriss. DD. soluere teneatur.

De conuenticula illicita non facienda. Cap. 37.

FACIENS, vel ordinans conuenticulam illicitam, siue iuram, ex qua videretur seu videri posset ipsam Terram rationabiliter perturbari, vel ipsius communis statum reduci ad partem, pœnam ducentorum florenorum ipso facto sine prolatione sententiæ soluere teneatur, & acrius etiam corporaliter arbitrio Illustriss. DD. puniatur. Si quis vero conuenticulam, siue iuram fecerit occidendo aliquam particularem personam dictæ Terræ, puniatur pœna decem florenorum pro quolibet, & vice qualibet, & etiam arbitrio Illustrissimorum Dominorum.

De pœna deuastantis cupellos apium. Cap. 38.

CVPELLOS apium nemo audeat deuastare, frangere, seu mel extrahere, vel asportare sine voluntate domini, sub pœna octo florenorum pro quolibet contrafaciente, & quolibet cupello, & vice qualibet, quam pœnam si delinquens soluere non poterit infra decem dies a die latæ sententiæ numerandos, puniatur tribus ictibus funis publice, & exbanniatur a Terra, & territorio S. Gemini, & D. Locumt. in prædictis procedere possit per inquisitionem, accusam, seu denuntiam, ad petitionem cuiuscunque, & contra malefactores indiciatos, ad torturam, si opus fuerit, deuenire.

De pœna aucupantis, & accipientis columbos. Cap. 39.

AD columbos, seu columbas nulli liceat aucupari cum escatis, vel aliquo alio ingenio, vel cum balista, archibusio, laqueis, vel aliis similibus instrumentis ad pœnam duorum florenorum pro quolibet columbo, seu columba, & pro quolibet contrafaciente vice qualibet. Et in eandem pœnam incidant facientes escatum in areis,

areis, & laqueos cum fabis, vel ponentes, & mittentes vinacia in escatis. Et in prædictis, & quolibet prædictorum possit procedi per inquisitionem, denuntiam, & accusam, & credatur dicto vnius testis fide digni. Declarantes quod a festo Paschalis resurrectionis Domini nulli liceat facere, vel retinere escata, vsq; ad Kalendas Nouembris. Et D. Locumt. die sequenti post supradictum festum Paschatis teneatur, & debeat per loca solita banniri facere, quod habentes escata, vel alia ingenia debeant illa deuastasse ad dictã pœnam. Et si negligens in prædictis exequendis fuerit, puniatur pœna quinq; florenorum tempore sindicatus soluendorum. Et in omnibus supradictis casibus contrafacientes, damnũ dominis columbariorũ in duplum emendent. Et de damno passo stetur, & credatur iuramento dominorum. Et in medietate supradictarum pœnarum incidant, qui cum balistis, seu archibusiis dictis columbis tirauerint, licet columbos non occiderint.

Quod liceat unicuiq; currere ad rumorem. Cap. 40.

STATVERVNT, & decreuerunt, quod si in Terra S. Gemini, vel eius territorio fuerit rumor, vel rixa inter aliquos, homines de contrata vicini possint, & ualeant occurrere cum armis, & sine ad dictum rumorem, uel rixam, animo sedandi rixantes, dummodo aliquem in rixa nõ offenderint cum armis prædictis, sine pœna & bando. Si autem cum dictis armis percusserit, puniãtur secundum formam statutorum dictæ Terræ de materia loquentium.

Quod offerens idonee cauere carcerari non possit. Cap. 41.

NVLLA persona de dicta Terra ualeat, & possit per D. Locumt. & eius officiales pro aliquo maleficio, uel excessu commisso carcerari, si delinquens pœna pecuniaria ueniret plectendus, & idoneam cautionem præstare paratus esset: si minus legitime non potuerit cauere, tunc possit carcerari, & detineri, donec idonee satisfecerit, & pœnam incursam soluerit. Et si officiales secus fecerint, pœna octo florenorum pro quolibet, & uice qualibet puniantur, & hoc statutum intelligatur, ut supra in primo statuto.

De duplicatione pœnarum. Cap. 42.

OMNES pœnæ de maleficiis, & delictis in præsenti uolumine statutorum cõtentæ duplicentur, & duplicari debeant diebus, & locis, modo & forma infrascriptis, uidelicet de nocte, & nox intelligatur a sono Auemarie de sero, usq; ad sonum eiusdẽ de mane, in palatio communis, & in ipsius platea, in macello, in Ecclesiis, in festo S. Gemini, & in eius uigilia, cum die sequenti post dictum festum, in festo Nactiuitatis Domini, in festo Paschatis resurrectionis, in dolentitiis siue funeralibus, in processionibus, in domo propria, uel conducta, diebus Dominicis, in singulis festiuitatibus beatę Mariæ Virginis, & coram D. Locumt. uel Prioribus, & eorum personis ubicunq; sint. Et talis duplicatio fieri possit in maleficiis, & delictis personalibus tantum; & contra personas qualitercunq; commissis, & non in aliis, & pœnę non possint nisi semel tantum duplicari.

De

De mitigatione pœnarum. Cap. 43.

QVONIAM legislatores, ac etiam iudicantes, potius ad demoliendam pœnam, quam exasperandam inclinari decet; præsenti igitur statuto decreuerunt, ꝙ quotiescunq; pro maleficio contra aliquem procedi contigerit, ex quo pœna pecuniaria imponenda ueniret, si reus contra quem proceditur, compareat in prima uel secunda excusatione, & sponte delictum, de quo inquiritur confiteatur, ei quarta pars pœnæ, in qua condemnandus ueniret, penitus detrahatur; & si ante sententiam cum aduersario cui iniuriam in persona, uel rebus intulit, pacem fecerit, & de ea per publicum instrumentum fidem faceret, alia quarta pars detrahatur ut supra: ita quod in totum detractis supradictis partibus medietatem pœnæ, in qua cõdemnandus ueniret, soluere teneatur. Adiicientes, quod si quis negauerit maleficium, uel delictum, de quo contra eum procederetur, & illud legitime probatum fuerit, propter negationem factam, teneatur, & debeat soluere condemnationem cum quarto pluri.

De modo procedendi de similibus ad similia. Cap. 44.

DE omnibus maleficiis, & delictis, quorum pœnæ non sunt expressæ in præsenti lege statutaria, Dñs Locumt. & sui officiales, possint ꝓcedere, & pœnas imponere de similibus ad similia, & ubi simile non reperiretur, seruetur consuetudo, & si non reperiretur consuetudo, attendantur constitutiones Marchiæ, sin autem locũ sibi vendicet ius commune.

De ponentibus ad domum alicuius rem iniuriosam, uel diffamatoriam. Cap. 45.

SIQVIS studiose ante domum alicuius propriam, vel conductam, siue ad hostium rem turpem, videlicet cornua bestiarum, fœtens, vel fœtida, vel aliud valde turpe, aut scripturam, seu cedulam continentem aliquod diffamatorium, vel opprobriosum, domino vel habitatori domus, in decem florenis puniatur, si de die, si autem de nocte pœna prædicta duplicetur, saluo arbitrio superiorum secundum casuum qualitatem.

De pœna uendentis rem forensibus. Cap. 46.

NVLLA persona de dicta Terra, vel degens in ea, possit nec debeat terras, vel possessiones suas, & domos intus, & extra Terram, & eius territorio, vendere. vel alienare alicui forensi, vel qui non sit de dicta Terra, & iurisdictioni eiusdem subiectus; sub ꝓcena, & ad ꝓcenam triginta florenorum pro quolibet, & vice qualibet; & in eandem pœnam incidat emptor contrafaciens. Et possessio vendita ipso facto, & sine aliqua iudicis declaratione applicetur Cameræ Illustris. DD. & valeat Fiscus de illa corporalem accipere possessionem, sine licentia, & decreto Curiæ. Notarius vero qui huiusmodi instrumenta scripserit, in decem florenis puniatur ꝓ quolibet, & vice qualibet, & testes qui interfuerint in dicto instrumento, incidant in medietatem dictæ pœnæ. Si quis vero fraudem commiserit, vel committet in emendo aliquam possessionem, siue domũ pro aliquo forense, & ipsam venditionẽ seu emptionem non denuntiauerit Curię infra decem dies post emptionem factã;

soluat

ſoluat nomine pœnæ, illam pœnam quam ſoluere teneretur, ſi forenſi vendidiſſet vt ſupra, & nihilominus dicta talis poſſeſſio, ſiue domus remaneat confiſcata Cameræ Illuſtriſſimorum Dominorum vt ſupra: & ſi denuntiauerit, ad pœnam aliquã non teneatur, ita tamen quod ex huiuſmodi poſſeſſionibus, & domibus per eum emptis, fructus non percipiat per ſe, vel nomine dicti forenſis, vel alterius perſonæ, ad dictam pœnam: liceat tamen vnicuiq; de dicta Terra dare, & conſignare forenſibus pro dote domum, ſiue domos, & poſſeſſiones pro fundo dotali, ſeu pro ſolutione dotis promiſſæ pro filia, ſorore, vel neptæ, uel pro alia perſona ſine incurſu dictarum pœnarum, exceptis poſſeſſionibus exiſtentibus in finibus territorii dictæ Terræ, & prope ipſos fines, quæ poſſeſſiones quoquo titulo dari non poſſint, niſi obtenta prius licentia ab Illuſtriſſimis ſub dicta pœna. Et in præmiſſis, & quolibet præmiſſorum D. Locumt. pro tempore, & ſui officiales poſſint, & ualeãt procedere per inquiſitionem, denuntiationem, & accuſationem, & repertos culpabiles pœnis prædictis punire ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ſola facti ueritate inſpecta, & quilibet poſſit accuſare, & habeat quartam partem pœnæ. Declarantes quo ad ſupradicta, quod forenſes non intelligantur, qui habitauere per decennium in dicta Terra, uel eius diſtrictu, & fideiuſſionem præſtiterint de habitando in futurum.

Quod D. Locumtenens non poſſit procedere per inquiſitionem in certis caſibus. Cap. 47.

STATVERVNT, & ordinauerunt, quod D. Locumt. non poſſit nec ualeat p procedere ex officio, & per inquiſitionem parte non querelante in offenſionibus, & uerbalibus leuibus conſanguineorum, & affinium uſq; in tertium gradum ſecundum ius canonicum computandum: dummodo pacem fecerint, uel parati ſint facere incontinenti, ad pœnam decem florenorum tempore Sindicatus ſoluendorũ ſi contrafactum fuerit.

De bonis condemnandorum. Cap. 48.

DOMINVS Locumtenens dictæ Terræ, qui pro tempore fuerit, teneatur, & debeat ſuo poſſe bona condemnatorum facere reinueniri; & omnes ſententias cõdemnatorum, & exbannitorum quæ ſunt, & fierent in futurum, executioni mandare in bonis ipſorum condemnatorum, & exbannitorum, omni occaſione ceſſante, dummodo ipſę condemnationes, & exbannimenta fuerint recte lata, & facta. Adiicientes, quod Dominus Locumtenens prædictus uinculo iuramenti, pœna triginta florenorum de ſuo ſalario, ſi occaſione infraſcripta contrafecerit, teneatur, & debeat diſcutere, & diſcuſſionem facere de omnibus bonis, tam mobilibus, quam immobilibus omnium exbanditorum, & condemnatorum ex cauſa criminali. Et facta dicta reinuentione, debeat ipſa bona uendi facere per Camerarium Illuſtriſſimorum Dominorum cuique uolenti emere dicta bona uſq; in quantitatem debitam per ipſum exbanditum, & condemnatum ipſi Camerario occaſione dictę ſententiæ contra talem exbanditum, & condemnatum, ſeu exbanditos, & condemnatos latæ. Et ſi dictus Camerarius non inueniret aliquem, uel aliquos, uolentes emere dicta bona mobilia, & immobilia dicti talis exbanditi, uel condemnati, uel exbanditorum, ſeu condemnatorum; debeat Dominus Locumtenens cogere cum effectu adiacentem, ſeu adiacentes dictis bonis mobilibus, & immobilibus

dicti talis exbanditi, & condemnati, seu exbanditorum, & condemnatorum, ad emendum dicta bona, pro illo pretio quo extimarentur ipsa bona per duos homines de contrata, super dicta extimatione ponendos per Camerarium Illustrissimorum Dominorum, & adiacentes emptores prædictos. Et hoc Dominus Locũtenens teneatur facere, & executioni mandare infra spatium vnius mensis, post prolationem sententiæ, ad pœnam prædictam. Adiicientes insuper quod Dominus Locumtenens prædictus, qui pro tempore fuerit, de prædictis aliquam partem petere non possit, nec valeat; liceat tamen vnicuiq; exbanditum, & condemnatum capere, & in fortiam Curiæ ducere.

De arbitrio Illustrissimorum in uolumine statutorum reseruato. Cap. 49.

STATVERVNT, & ordinauerunt, quod in omnibus casibus, in quibus in Capitulis horum statutorum reperitur reseruatum arbitrium Illustrissimis Dominis, Dominus Locumtenens pro tempore non valeat, nec possit exigere a delinquẽtibus nisi pœnam in statutis cõtentam, & declaratam, nisi aliter ipse ostenderet Illustrissimos dominos declarasse: nec pro tali habenda declaratione cogere possit subditos ad recurrendum, sub pœna decem florenorum tempore Sindicatus soluendorum, & Cameræ Illustrissimorum Dominorum applicandorum, & ad partis interesse.

Explicit Liber Tertius Maleficiorum.

STATVTORVM

TERRAE SANCTI GEMINI.

LIBER QVARTVS.

EXTRAORDINARIORVM.

De festiuitatibus custodiendis. Cap. 1.

QVONIAM reuerentia diuini numinis semper præ oculis haberi debet; statuerunt, & ordinauerunt, venerari, & custodiri debere, dies omnes Dominicos, Natiuitatem Domini, cum tribus sequentibus. Festum Circuncisionis. Epiphaniam, festum omnium Sanctorum, festum Paschatis resurrectionis cũ duobus sequentibus. Omnes dies festiuitatũ beatæ Mariæ Virginis, Apostolorũ, & Euangelistarũ, Festum Pentecostes cum duobus sequentibus, Festum Sacratissimi Corporis Christi Festum Sancti Geminí, Sancti Laurentii, Quirici, Nicolai, Egidii, Sancti Michaelis Archangeli de mense Septembris, Festum Sanctæ Crucis de mense Maii, Festum Sancti Francisci, Sanctę Mariæ Magdalenæ, Sanctæ Barbaræ, Sancti Iohannis Baptistæ, & omnes aliæ festiuitates, quæ per Clerum, & Communitatem prędictam celebrari, & custodiri mandantur. Nullus autem audeat in dictis diebus, vel ipsorum aliquo facere aliquod opus profanum, seu operas mechanicas in dicta Terra, nec eius territorio, sub pœna vnius iulii pro quolibet, & vice qualibet. Et prædicta non habeant locum in portantibus aquam, in ventilando in area, granum, & alia bladorum genera, & illa reportando domum tempore messium; nec etiam in portantibus cum bestiis, & sine herbas, paleas, fenum, & poma. In portando fasciculos lignorum, siue frascarum in capite, siue in spatulis, portando mustum tempore vindemiarũ & etiam in eundo ad molendum granum, & in coquendo panem.

De ludo alearum, & taxillorum prohibito. Cap. 2.

AD ludum alearum, & taxillorum, sine tabulis in Terra prædicta, & eius territorio, nulli liceat ludere, vbi res, vel pecunia perderetur; ad pœnam octo iuliorum pro quolibet, & vice qualibet, si palam luderetur; si autem in domibus, seu gruttis vel aliter quomodocunq; in abscondito, in duplum dictæ pœnæ ludentes puniantur; & in eandem pœnam incidant retinentes dictos lusores in eorum domibus, vel alibi; & etiam cõmodãtes aleas, seu taxillos; & illud quod victum, vel deperditum fuerit in dictis ludis, siue in pecunia, siue in rebus, restituatur perdenti. Et ad repetendum amissum in dictis ludis, admittantur, & admitti debeant, pater, auus, fratres, tutores, & curatores, & alii attinentes perdenti vsq; in secundum gradum. Et si quis in dictis ludis pecuniam, vel aliquid aliud commodaret, vel cautionẽ præstaret, vel deponeret; mutuum illud, & depositum repeti non possit, & cautio siue promissio non valeat, nec teneat; & contractus initi in dictis ludis quacunq; forma concepti, sint ipso iure nulli, & ex eis aliqualiter agi non possit, & in quolibet supradictorum casuum incidant in dictam pœnam. Et Notarius, vel alii conficien

R. ARCHIVIO di STATO di ROMA BIBLIOTECA

tes ſcripturas publicas, ſiue priuatas, ſub quocunq; titulo ſcienter, ex cauſa dictorũ ludorum incidant in ſupradictam pœnam.

De pœna euntis poſt tertium ſonum campanæ. Cap. 3.

TERRIGENA, vel forenſis, poſt tertium ſonum campanę paruæ palatii quę de ſero pulſatur, per dictam Terram ſine lumine, vel ſtipite accenſo ire non poſſit, ſub pœna duorũ baiocchorũ pro quolibet, & vice qualibet; & credatur relationi familiæ D. Locumt. cũ baiulo: ſaluo quod liceat vnicuiq; ire per dictã Terram ſine lumine, vel ſtipite accenſo, ſi fuerit neceſſe, & fuerit bonæ conditionis, & famę, & etiã tempore meſſium, & vindemiarum, vel ſi Notarii iuerint ad conficiendum teſtamẽta aliquorum, vel molendinarii oliuarum tempore quo dictæ oliuæ moliuntur, & etiam fornarii, quibus liceat ſine pœna ire de nocte ſine lumine, vt ſupra, dummodo fraus non committatur.

Quod nulli liceat prope terminum laborare. Cap. 4.

PROPE aliquem terminum, & circumcirca ipſum terminum per vnum pedẽ manus nulli liceat laborare, vel fodere, ad pœnam baiocchorum octo pro quolibet, & vice qualibet qua fuerit contrafactum.

De graſſia non extrahenda. Cap. 5.

STATVERVNT, & ordinauerunt, quod Domini priores dictæ Terræ de mẽſe Auguſti debeant facere propoſitam in Conſilio generali, ſuper extractione graſſię, videlicet frumenti, vini, olei, carnium, & aliarum rerum ad graſſiam pertinentium, & quicquid in dicto conſilio decretum fuerit per Dominos Conſiliarios exequi, & exequtioni mandari debeat per D. Locumt. vinculo iuramenti, & pœna duorum florenorum pro vice qualibet. Declarantes quod nullus audeat, vel præſumat de dicta Terra, & territorio extrahere, vel extrahi facere pipiones ad pœnã duorum ſcutorum pro quolibet pari, & credatur accuſatori cum iuramento, & vno teſte fide digno, & accuſator habeat quartam partem pœnæ.

De portantibus graſſiam ad Terram Sancti Gemini. Cap. 6.

VENIENTES ad dictam Terram cum aliqua graſſia, ſi ipſam vendiderit in dicta Terra, dictus venditor non teneatur ſoluere gabellam, & qui duxerit, ſeu aſportauerit aliqua comeſtibilia, debeat ſtare in platea magna Communis, & non ante domum alicuius perſonæ de dicta, Terra ſub pœna decem baioccorum pro quolibet terrigena retinente prope ſuam domum; & nemini liceat emere ad ingroſſum a dicto venditore cauſa reuendendi, niſi prius talis foreſis venditor ſteterit per quatuor horas in platea cum dictis rebus ad vendendum, ſub pœna duorum iuliorum pro quolibet, & vice qualibet, & Dominus Locumtenens in prædictis poſſit procedere per inquiſitionem.

De Capris non retinendis. Cap. 7.

NVLLI liceat retinere capras in Terra prædicta, vel eius diſtrictu ad pœnam quatuor

quatuor baiocchorum pro qualibet capra, & qualibet vice, nisi pro necessitate alicuius infirmi, vel causa lactandi puerum. Et D. Locumt. licentiam alicui concedere non possit, sub pœna duorum florenorum tempore sindicatus soluendorum.

De Macellarijs, & eorum ordine. Cap. 8.

STATVERVNT, & ordinauerunt, quod Macellarii dictæ Terræ qui pro tempore fuerint, teneãtur, & debeant facere bonas, & recipientes carnes ad sufficientiã dictæ Terræ, modis, & temporibus infrascriptis. Videlicet a principio mensis Nouembris vsq; ad carnisprium incluſiue, carnes porcinas masculinas, & qualibet hebdomada dicti temporis vnum castratum. Item a festo Paschatis resurrectionis per totum mensem Maii, carnes agninas ad sufficientiam vtsupra, & etiam vnum castratum in qualibet hebdomada. Item a principio mensis Iunii per totum mensem Iulii, carnes pecudinas, & vnum castratum in qualibet hebdomada vt supra. Item a calendis Augusti vsq; ad medium mensem Septembris continuo, & ad sufficientiam totius Terræ carnes castratinas, & vitulinas. Et deinde vsq; ad calendas mensis Nouembris carnes caprinas, & vnum castratum in qualibet hebdomada, vt supra. Et castrati, qui fierent per totum annum sint, & esse debeant supra vnum annum, & non minus. Et si Macellarii in prædictis, & quolibet prædictorum contra fecerint, vel negligentes fuerint, puniantur in vno floreno pro quolibet, & vice qualibet; & cuilibet liceat accusare in prædictis, & stetur eius iuramento, cum vno teste. Adiicientes quod dicti Macellarii non possint retinere, vel vendere in eorum macello carnes morticinas, seu infectas, & morbosas, nec dare alicui, & vendere vnã carnem pro alia; minusq; bestias, vel carnes quas publice ad dictum macellum nõ occiderint, ad pœnam duorum florenorum pro quolibet, & pro qualibet bestia, & quilibet possit accusare vt supra, & credatur cum vno teste. Et prædictas carnes, & quamlibet prædictarum, macellarii prædicti teneantur, & debeant vendere pro pretio currenti pro tempore in ciuitate Narniæ. Et Domini Priores, qui pro tempore fuerint teneantur mittere singulis duobus mensibus ad dictam Ciuitatem pro fide, & literis dictæ Ciuitatis super pretiis carnium, & eisdem Macellariis per Baiulũ notificari facere. Et si Macellarii facta dicta notificatione, vltra pretium notificatum vendiderint, incidant in pœnam supradictam. Et quilibet possit accusare, & credatur, vt supra. Prouiso quod dictis Macellariis non liceat retinere intus Terrã prædictam, vel eius districtu capras, vel porcos; & minime intus Terram retinere vel arretare bestias pecudinas. Et Dominus Locumtenens pro tempore teneatur, & debeat prædicta fieri facere, & obseruari, sub pœna præstiti iuramenti, & duorũ florenorum de suo salario sindicatus tempore soluendorum pro quolibet, & vice qualibet; & in prædictis, & prædictorum quolibet per inquisitionem procedere possit, & credatur dicto vnius testis fide digni. Prouiso quod si dicti Macellarii fecerint in macello aliquas bestias vaccinas, non possint illas vendere, nisi prius facta extimatione per vnum hominem per Dominos Priores eligendum. Et carnes castratinę omnes alias carnes deficientes excusent.

De uendentibus carnes morticinas. Cap. 9.

NON liceat cuiquã vendere, vel vendi facere in dicta Terra aliquas carnes morticinas, spallatas, seu allupatas, nisi in portis dictæ Terræ, & cum licentia Domini

Locum-

Locumtenentis, & Dominorum Priorum, seu maioris partis, ad pœnam vnius floz reni pro quolibet, & vice qualibet.

De uenditione carnium in territorio Podȝ Azzuani. Cap. 10.

OMNIBVS de dicta Terra liceat facere, & vendere carnes cuiuscunq; generis omni tempore in territorio castri supradicti, sine incursu alicuius pœnæ, dummodo non sint carnes morticinæ, spallatę, seu allupatæ, quæ vendi non possint nisi cũ licentia Dominorum Locumt. & Priorum, vt in præcedenti capitulo. Et qui contra fecerit, pœna vnius florení puniatur vice qualibet, & pro qualibet bestia.

De Pizzicarolis. Cap. 11.

STATVERVNT, & ordinauerunt, quod quando contingeret Communitatẽ Terræ prædictę non vendere, vel appaltare alicui speciali personæ pizzicariam, illi qui ipsam exercere vellent, teneantur, & debeant tenere omnes res pertinentes ad dictam pizzicariam, & illas vendere volentibus quatuor quatrenis minoris quam vendantur in Ciuitate Narniæ; & si pluris vendiderint, incidant in pœnam vnius florení pro quolibet, & vice qualibet.

De ponderibus & mensuris. Cap. 12.

QVILIBET de dicta Terra, vel degens in ea, vtens ad vendendum, vel emendum mensuris, vel ponderibus; teneatur, & debeat illas, seu illa habere, & retinere iustas, & iusta, sciaumatas, & imprõptatas, mensuris, & ponderibus dicti Cõmunis. Videlicet Petittum, medium petittum, foglietam, passettum, mediale, quartum, sedicianum, probendam, stateram, bilanciam, & marcum. Et qui contrafecerit in emendo, vendendo, mensurando, & ponderando, nisi cum ponderibus, & mensuris, vt supra adiustatis, incidat in pœnam vnius florení pro quolibet, & vice qualibet. Et nulli liceat retinere in apotheca, macello, taberna, hospicio, vel alibi, vbi aliquid publice venderetur, vel mensuraretur, & ponderaretur, mensuras, pesas, non impromptatas modo, vt supra, ad pœnam vnius iulii pro qualibet mensura, & vice qualibet; quæ pœna duplicetur in fraudantibus partem cum dictis mensuris sic aiustatis, & teneatur ad eiusdem interesse. Declarantes, quod in mensuratione bladorum debeat trahi, & educi rasería supra mensuras. Et in prædictis, & quolibet prædictorum D. Locumt. possit, & valeat procedere per inquisitionem, accusam & denuntiam, & credatur familiæ potestatis, cum iuramento: & delinquentes culpabiles punire pœnis memoratis.

De pœna proycientis bestiam mortuam prope Terram, uel intus, & coria. Cap. 13.

SI QVIS proiecerit bestiam mortuam a Sanctis Laurentio, & Quirico, & similiter circiter ipsam Terram per spatium vigintiquinq; cãnarum mensurę in vno scuto pro quolibet, & vice qualibet, & bestiam nihilominus proiectã remouere teneatur; & illud etiam intelligatur de eo, qui intus Terram proiecerit dictam bestiam, vel quodcunq; aliud animal simile fœtidum, & putidum. Et si quis coria aliquarum

rum beſtiarum in ſtratis publicis proiecerit, vel extenderit, pœna quinq; baiocchorum puniatur pro quolibet, & vice qualibet.

De Tabernariis, & vinum uendentibus ad minutum. Cap. 14.

TABERNARIVS, vel vendens vinum ad minutum, teneatur vendere vinũ, & menſuras vſq; ad ſummum implere, etiam quod ab ementibus petitum non fuerit; & ſi contrafecerit, ſoluat nomine pœnæ baiocchos duos pro qualibet menſura: & ſtetur iuramento accuſatoris. Et ſi in venditione vini dicti Tabernarii, & vinũ vendentes aliquam fraudem commiſerint, & aquam miſcuerint, ſiue quid ſimile, in pœnam decem florenorum condemnentur pro quolibet, & vice qualibet.

De Fornaciariis, & eorum ordine. Cap. 15.

STATVERVNT, & ordinauerunt quod fornaciarii degentes, & laborantes in dicta Terra, ſeu territorio, teneantur, & debeant facere lateres, ſeu matones menſurę vnius pedis longitudinis, & ſextę partis in groſſitudine, ita & taliter quod poſt quam fuerint cocti, ſint & eſſe debeant dictæ menſurę; & eiuſdẽ longitudinis ſint planellę, & quatrucii; coppi vero ſint, & eſſe debeant longitudinis vnius pedis cum dimidio. Et ſi contrafactum fuerit per dictos fornaciarios, incidant in pœnã duorum iuliorum pro quolibet, & vice qualibet contrafecerint in vendendo prędicta.

De Fornariis, & ordine ipſorum. Cap. 16.

FORNARII, & fornariæ in dicta Terra teneantur, & debeant calefacere furnum tempore æſtiuo quemadmodum calefaciunt tempore hiemali, ad pœnam duorum baiocchorum pro quolibet, & vice qualibet: teneãtur etiam ſtaſionare, & coquere panem: & pro eorum mercede debeant accipere vnum panem de ſingulis quadraginta panibus, eorum ſumptibus, & expenſis, & ſine lignis facientium panem, & ſine aliquo alio pretio; & furnum calefacere non poſſint cum ciancis ad pœnam octo baiocchorum pro quolibet, & vice qualibet. Liceat tamen dictis fornariis fraſchas mortuas ad vſum furni extra fines diſtrictus territorii dictę Terrę recolligere, & aſportare ſine incurſu pœnę, præterquam in poſſeſſionibus arboratis, & recluſis.

De ordine ſeruando per panificulos, & panem uendentes. Cap. 17.

STATVERVNT, & ordinauerunt, quod ſi pro tempore contingeret Communitatem Terræ prædictę vendere, ſeu quomodocunq; appaltare panactariam, emẽtes, vel appaltatores ipſius teneantur ſeruare modum, & ordinem per Communitatem prædictam factos, ad pœnam vnius floreni pro quolibet capitulo quo contra factum fuerit, & qualibet vice, vltra pœnas in capitulis pro tẽpore appoſitas, vel apponendas. Tempore autem, quo panactaria prædicta non venderetur, non liceat vendere publice, vel priuate panem cuiuſcunq; generis, niſi prius habuerint modum, & ſtaglium a D. Prioribus pro tempore. Et ſi ſecus fecerint, puniantur pœna prædicta & modo quo ſupra, & cuilibet liceat accuſare, & eius ſacramento credatur, cum vno teſte fide digno, & habeat quartam partem pœnæ.

De

De mutatione cursus aquarum. Cap. 18.

QVICVNQVE mutauerit, vel miserit cursum aquarum pluuialium campi, vel viæ, in præiudicium alterius intra Terram prędictam, vel extra, soluat nomine pœnæ vice qualibet baiocchos octo. Et si aliquis, vel prædecessor eius fecerit, vel mutauerit a decem annis citra, illud debeat remouere ad petitionem cuiuscunq; petentis. Adiicientes, quod nemo cursum aquarum solitum, & antiquum deriuare, vel mutare possit; & qui transgressor extiterit, soluat, & soluere debeat octo iulios pro quolibet, & qualibet vice, & nihilominus quilibet possit dictam aquam remittere in proprium cursum sine pœna, & bando.

De fouea non facienda in præiudicium uicini. Cap. 19.

NVLLI liceat formam, siue foueam aliquam in suis possessionibus, & campis facere in præiudicium sui vicini, & qui contrafecerit puniatur pœna quatuor iulio rum pro quolibet, & vice qualibet; & habentes formam, siue foueam per quā aqua pluuialis solita sitire, talis teneatur dictam formam facere amplam, & cupam, ita quod aqua ex ea fluens damnum non inferat in possessionem vicini, ad dictam pœnam; & damnum in duplum emendet.

De fontibus manutenendis, & remundandis. Cap. 20.

VT aquę omnes scaturientes in territorio dictæ Terræ conseruentur, & manuteneantur, hac salubri lege statutaria decreuere, quod Communitas prædicta teneatur, & debeat quoties opus fuerit reactare, & reactari facere sumptibus dicti Communis fontes infrascriptas. Videlicet fontem Canalis, fontem Fauazani, fontem S. Laurentii, & fontem Asicentellæ, & illas manu tenere, & conseruare, ita & taliter quod ex eis aqua commode hauriri possit, & bestiæ in abeueratoriis potari & in lauatoriis pannamenta lauari, & illas per baiulum Communis, bis in anno remundari facere: videlicet de mense Maii, & Septembris cuiuslibet anni. Et si in prædictis Baiulus fuerit negligens perdat de suo salario florenum vnum pro qualibet vice. Et Camerarius pro tempore teneatur illud retinere, & non soluere, & si soluerit, de suo soluisse intelligatur. Si quis vero cursum aquarum dictarum fontium deriuauerit, mutauerit, vel quoquomodo deguastauerit, soluat nomine pœnæ florenos duos pro quolibet, & vice qualibet; & nihilominus aquam deriuatam in pristinū statum reponere teneatur suis sumptibus, & expensis. Si autem quis in cursu aquarum prædictarum, vel in ipsis fontibus, & abeueratoriis, aliquam turpitudinem, siue sozzurā fecerit, vel pānos in eis lauerit, pœna vnius floreni pro quolibet, & vice qualibet puniatur Et in eandē pœnā incurrat qui prope ipsos fontes, & abeueratoria, per decē pedes manus, aliquā sozzurā fecerit, vel lauauerit intestina animaliū: liceat tamen vnicuiq; in lauatoriis dictarum fontium lauare intestina animalium, & alia solita. Item statuerunt, & decreuerunt, quod D. Priores pro tempore teneā tur, & debeant impensis adiacentium, & vtentium reactari facere infrascriptas fontes. Videlicet fontem Cannellæ, Leopardi, & puteū Barbani. Et si quis in dictis fontibus sozzuram, seu turpitudinem aliquam fecerit, vel cursum aquarum deriuauerit, puniatur in vno iulio pro quolibet, & vice qualibet. Et in prædictis, & quolibet prædictorum D. Locumt. possit procedere per inquisitionem, & stetur dicto

vnius

vnius teſtis de viſu, cum iuramento: & officiales eiuſdem poſſint accuſare, & eiſdem credatur, & ſtetur.

De pœna proiicientis aquam molendinorum in uia publica. Cap. 21.

HABENTES molendinum oliuarum in dicta Terra, non audeant proiicere ghezzam, ſiue aquam oliuarum in uia publica dictæ Terræ. Videlicet a porta S. Iohannis, vſq; ad portam S. Gemini, & in aliis viis publicis, ad pœnam vnius iulii p quolibet, & vice qualibet, & quilibet poſſit contrafacientes accuſare, & ſtetur, & credatur eorum iuramento.

De pœna facientis turpitudinem prope Eccleſias. Cap. 22.

NVLLVS audeat, vel præſumat facere, ſeu proiicere aliquam turpitudinem ante, vel prope eccleſias dictæ Terræ, & in cœmeterio earundē, vel in mœnibus S. Iohannis, ſeu in colle S. Gemini prope porticellam, ad pœnam vnius florenι pro quolibet, & vice qualibet. Et in prædictis D. Locumt. poſſit per inquiſitionem p cedere, & credatur dicto vnius teſtis cum iuramento.

De Molendinariis frumentorum. Cap. 23.

STATVERVNT, & ordinauerunt, quod molendinarii frumentorum de dicta Terra, vel degentes in ea, teneantur, & debeant retinere in eorum molendinis copitellum raminis adiuſtatum, & ſigillatum ſigillo Communis: ita quod plenum vſq; ad ſummum ſit & eſſe debeat in totum ponderis quatuor librarum, & accipere poſſint pro quolibet mediale granι vnum coppitellum ſimilem, & non vltra, ad pœnam vnius florenι pro quolibet, & vice qualibet.

De pœna incigliantis in locis prohibitis. Cap. 24.

INCIGLIARE canabam, vel linum in Terra S. Gemini, nec extra prope mœnia publica per ſpatium vigintiquinq; pedum, ad pœnam vnius iulii pro quolibet, & vice qualibet, non liceat: & cuilibet ſit licitum accuſare, & ei ſtetur cum iuramento.

Quod nulla mulier intret clauſtrum religioſorum. Cap. 25.

NVLLA mulier intret clauſtrum religioſorum cauſa hauriēdi aquam ex puteis ipſorum, ad pœnam octo baiocchorum pro qualibet contrafaciente, & qualibet vice. Et in eandem pœnam incidant homines haurientes aquas ex puteis prædictis, & tranſeuntes per Eccleſias dum diuina celebrantur officia; & cuilibet liceat accuſare, & eius ſacramento credatur. Prouiſo quod nō liceat cuiquam haurire aquam exputeis prędictis, niſi ſolum ad vſum bibendi, & cucinandi, ad dictam pœnam.

De puteis communalibus. Cap. 26.

HAVRIRE, vel extrahere aquā de puteis communalibus, nemini liceat cauſa

molendi oliuas, & pro calcinariis, ad pœnam baiocchorum quinq; pro quolibet, & vice qualibet, & quilibet possit accusare, & credatur, vt supra.

De mundatione uiarum. Cap. 27.

STATVERVNT, & ordinauerunt, quod a die sabbati sancti cuiuslibet anni per totum mensem Augusti, quilibet teneatur, & debeat scopare, & mundare, seu mundari facere ante eius domum, in quolibet sabbato, in quo si fieri non potuit, saltem die Dominico summo mane ante celebrationem missarum, ad pœnam duorũ baiocchorum pro quolibet, & vice qualibet. Et hoc intelligatur in habẽtibus domos in viis publicis, vbi rogationes, seu processiones pertransire solent: & de prædictis non remundantibus, stetur relationi officialis Curiæ, vna cum baiulo dictæ Terræ. Et prædicta bandiantur per baiulum in locis solitis quolibet die sabbati p̃cedentis.

De pœna laborantis prope, & extra muros Communis. Cap. 28.

NVLLI liceat facere, seu habere formam, seu foueam prope murum Communis dictæ Terræ; nec laborare, uel laborari facere quomodocunque per tres pedes manus a dictis mœnibus, ad pœnam duorum iuliorum pro quolibet contrafaciente, & vice qualibet.

De pœna proiicientis, et retinentis turpitudinem in uiis, & proiicientis aquas in uiis. Cap. 29.

TVRPITVDINEM, vel brutturam aliquam in viis publicis, & priuatis proiicere, seu retinere nemo possit: & si quis ante domum propriam, seu conductam fimũ, seu lutamen, vel aliquid aliud simile habuerit, & posuerit, illud vltra duos dies retinere non possit ad pœnam baiocchorum quinq; pro quolibet contrafaciẽte, & vice qualibet: & possit D. Locumt. in prædictis per inquisitionem procedere. Qui vero turpitudinem tempore pluuiæ versus domum sui conuicini mitteret, & inuiaret, pœna duorum baiocchorum vice qualibet puniatur, & sacramento conuicini credatur. Et in eandem pœnam incidant, qui a feneſtris, siue aliunde proiicerent aquas immundas in uiis, & credatur accusatori cum iuramento.

De Texitricibus, & earum ordine. Cap. 30.

STATVERVNT, & ordinauerunt, quod texitrices pannorum lini, & canabis in dicta Terra, non possint, nec valeant exigere, vel habere pro earum mercede, & labore, nisi modo infrascripto, videlicet. Et in primis pro quolibet brachio panni lini, vel canabis grossi, grosselli, & fili perdenti baiocchum vnum. Item pro panno duodecim ligaminum baiocchos septem cum dimidio pro qualibet fionga. Item pro panno tresdecim ligaminum baiocchos duos pro quolibet brachio. Item pro panno quatuordecim ligaminum baiocchos tres pro quolibet brachio. Item pro mappis, seu touaglietis ad rammam baiocchos tres pro quolibet brachio. Et pro touagliis ad rammam baiocchos sex pro quolibet brachio. Et pro ordítura pãnorum quorumcunq; quatrenum vnum pro qualibet fionga. Et brachium in p̃dictis intelligatur, & esse debeat de quatuor palmis, & fionga de quinq; brachiis consimilibus. Et si aliqua mulier, vel textrix pannorum fraudem aliquã in textura

vel

vel orditura commiserit, vel aliquid vltra dictam mercedem acceperit, vel petierit, pœnam vnius florení puniatur pro qualibet vice qua contrafecerit, & quod plus receperit in duplum restituere teneatur.

De reparatione murorum Communis. Cap. 31.

MVROS publicos dictæ Terræ si cadere, vel ruinam minari contingeret, teneantur, & debeant habentes domos iuxta illos reparare, reaptare, & restaurare sumptibus ipsorum, dummodo per Commune dictæ Terræ detur eisdem prouisio calcis ad sufficientiam: & tunc dicti adiacentes debeant infra duos menses reparare, & reficere dictos muros, ad pœnam quinq; florenorum. Et si ex eorum culpa, & defectu ruina dictorum murorum facta esset, vel fieret, Communitas prædicta non teneatur ad aliquid pro reparatione, & reaptatione eorundem, sed dicti adiacentes eorum propriis expensis reficere teneantur.

In fauorem Gabellariæ, & Passagerij. Cap. 32.

GABELLARIIS, & passageriis dictæ Terræ liceat, durante eorum officio arma tam offensibilia, quam defensibilia, de die, & de nocte, sine incursu aliquarum pœnarum portare, & deferre: & D. Locumt. contra præfatos non possit procedere. Et si dicti gabellarii, & passagerii aliquem cum dictis armis percusserint, & vulnerauerint, in duplum pœnæ contentę in volumine statutorum puniantur, & puniri debeant.

De Anditis, & Cloacis existentibus intus, & extra Terram. Cap. 33.

NE fœtor, ex cloacis, seu latrinis oriatur, statuerunt, & ordinauerunt, quod oēs dictæ Terræ habentes latrinas intus, vel extra muros Communis, debeant illas cooperire, & claudere cum calce, & arena, & lapidibus vsq; ad terram, & ibidem foueā facere muratam, & coopertam, ita & taliter quod exinde aliquis fœtor, seu malus odor oriri, vel exire non possit, ad pœnam vnius florení pro quolibet, & vice qualibet. Si quis autem habuerit anditus, vel cloacas ex quibus sterquilitium in viis publicis vel priuatis exire possit, teneatur, & debeat illas claudi facere cum calce, & lapidibus per pedem vnum subtus terram, ita & taliter quod excrementa, & sterquilinia vadant per clauicam ordinariam. Et prædicta D. Locumt. teneatur, & debeat fieri facere, & executioni mandare, ad petitionem cuiuscunq;, & ex officio, ad pœnam duorum florenorum tempore sindicatus soluendorū. Et si in termino assignato dictis adiacētibus per D. Locumt. prædicta facere, & adimplere neglexerint, puniantur pœna vnius florení pro quolibet, & vice qualibet.

De occupatione uiarum. Cap. 34.

OCCVPANTES quomodocunq;, vel qualitercunq; vias publicas fodiendo, arando, seu detinendo, vel claudendo, ita quod ex eis transitus aliqualiter impediatur, in pœnam duorum florenorum pro quolibet, & vice qualibet puniantur. Si vero vias vicinales, seu priuatas, vt supra occupauerint, seu detinuerint, vel clauserint, in medietate dictæ pœnę puniantur, & puniri debeant pro quolibet, & vice quali-

bet, & nihilominus dictas vias tam publicas quam priuatas, liberas, vacuas, & expeditas relaxare, & dimittere teneantur sub dicta pœna. Et in prædictis, & quolibet prædictorum D. Locumt. pro tempore possit, & valeat per inquisitionem, denuntiam, & accusam procedere, nullo seruato iuris ordine, sed sola facti veritate inspecta.

De pœna falsificantium cæram in fabricando cæreos, & candelas. Cap. 35.

MALITIIS, & fraudibus speciariorum cereos, & candelas fabricantium obuiare uolentes, hac inuiolabili lege statutaria decreuerunt, quod per quoscunq; in dicta Terra cereos, & candelas fabricantes fiant, & fieri debeant cerei, & candelæ de pura, & legali cera, sine aliqua mistura, nec in eis mitti debeat nisi papyrus de bombace; & in quolibet cereo traiectato immitti debeant pro qualibet libra cæræ duæ octaue tantũ dicti papyri, & in cãdelis tantundẽ pro rata. Qui uero cõtrafecerit, in octo florenis pro quolibet, & uice qualibet condemnetur. Et D. Locumt. teneatur & debeat diligenter inquirere, & inquiri facere ad minus semel in mense p apothecas dictæ Terræ ad pœnam prædictam, & etiam per ecclesias in festo S. Gemini, & repertos culpabiles, punire, & condemnare in dicta pœna.

De nundinis, & mercatu fiendo, Cap. 36.

